

THOMAS MORUS,

OLIM

ANGLIÆ CANCELLARIUS,

JUVENEM PRINCIPEM

DOCET,

QUID FACTO OPUS SIT,

UT

SCEPTRO ADMOVENDUS,

SIBI GLORIAM,

SALUTEM REGNO,

SUBDITIS FELICITATEM

PARIAT

A

FRANCISCO XAV. SZUCH



CASSOVIÆ,

TYPIS JOANNIS MICHAELIS LANDERER.

PERPETUI IN FÜSKÚT.

*Infelicissimus mortalium est Rex, qui felicitatem
metitur suam ex aliorum miseria, quam in-
fert.*

FENELONIUS LIB. V.



P R Æ F A T I O.

*E*tſi plerisque hominibus ; cum primis tamen Principibus inſita eſt quedam immortalitatis apud poſteros conſequendæ cupiditas ; hi naſciuntur quidem & morti, non ſecus, atque cæteri homines, & præter cæteros immortalitati ; illos tamen duntaxat immortales fore exiſtimo, quos populi velint æternum vivere, qui præſentes amantur maxime, qui ſublato vehementiſſime deſiderantur, & quamvis immatura nonnullis ad mortem ſit ætas ; matura nihilominus eſt ad immortalitatem virtus, ut non tam illis corona honori, quam illi co-

PRÆFATIO.

rone ornamento fuisse videantur. Verum haud scio, an ulli omnem, qua posteritati memoriam sui alendam transcribunt, gloriam amplius, atque probæ educationi in acceptis referre debeant. Eam ob causam M. Aurelius Imperator tanta educandi Filii sui Commodi cura tenebatur, ut e frequentibus, qui Romam confluxerunt, Sapientibus paucos admodum delegerit, quorum fidei eum concrederet, optime gnarus in illis situm esse, ut is non Imperii modo, sed & Paternarum virtutum hæres evaderet. Tanti nempe Reipublicæ salutis interest, habere Principem, in quo virtutes cum scientia ex æquo certent; nisi autem a teneris his innutriatur, tantum abest, ut adulta ætate iisdem fulgeat, ut a Majoribus

P R Æ F A T I O.

acceptam lucem in tenebras convertat potius. Quid enim Regno amplio-rem splendorem conciliare? Quid subditis firmiorem in Regnantem amorem indere potest? atque si eum venerationem Principem, qui Alexandri fortitudinem, opes Antiochi, Fabricii fidem, Pompeji victorias, Augusti clementiam, pietatem Constantini præferat. Paucis itaque meritis eos volo, quorum curæ Princeps informandus committitur, ne adulatorum morem secuti, vitia, quæ primis annis se insinuare videntur, dissimulatione crescere sinant, quibus æternam nomini suo inureret maculam, neque hic egre ferat, si cuiuspiam defectus eo, quo par est, modo admoneatur, memor Apellis celeberrimi pictoris, qui quidquid pingebat, omni-

P R Æ F A T I O.

um oculis expositum voluit, ut transeuntes, naves, quos deprehenderent, candido aperirent pectore, quo factum est, ut opus numeris omnibus absolutum perficeret. Quamobrem fide integra libro hoc complectar virtutes perinde, quas Principem animo inserere, atque vitia, a quibus sibi cavere eum oportet, ut Regno jam admotus sibi gloriam, salutem Provincie, subditis felicitatem pariat.

V I T A

T H O M Æ M O R I.

Thomas Morus, tabularii sanctioris olim in Anglia Præses, qui a rebus gestis Magni cognomen indeptus est, primam lucem Londini aspexit, Patrem habuit Joannem Moor Curia Regia Equitem. Is, simulque per ætatem licuit, mox sedulae Moderatorum curæ fuit concreditus, quorum expectationi admodum respondit, ut absolutis cum laude studiis dignus videretur, quem Arch-Episcopus Cantabrigiensis Oxoniam mittebat, ut ad cæteras scientias, quibus probe instructus erat, parem Græcæ Linguae adjiceret notitiam. Tum a reditu publicis functionibus admotus, ac non multo post inferioris Regni Senatus Orator est creatus, quo in munere dum versaretur,

tanta suæ prudentiæ, & eruditionis edidit specimina, ut omnem Henrici VIII Regis amorem lucraretur, qui eum, tanquam ad majora natum, supplicum libellorum Referentem, thesauri Custodem, &, ut vulgo ajunt, Cancellarium Lancæstræ dixit; neque spem de se conceptam fefellit; nam provinciam sibi delatam indefessa diligentia adeo explevit, ut nihil in eo, seu consilii, seu industriæ, unquam desideraretur; non secus apud Imperatorem, & Regem Galliarum Legati personam tanta sui commendatione sustinuit, ut Imperanti perinde, atque Regno ab ipsis etiam inimicis satisfacisse judicaretur; non tamen ad hoc tempus par meritis dignitas ei collata est, nisi dum Cardinali Volsæo Regni Cancellario MDXXX sufficeretur, quo in munere summa fidei integritas cumprimis eum commendavit; nullis enim seu privatorum, seu Aulæ blanditiis eo perduci potuit, ut a legibus justitiæ descisceret; quamobrem filiis suis querentibus, quod non pro eo, ac deceret, augendæ rei familiari intenderet animum,

respondit: pluris se facere laudem, quæ a probe administrata æquitate venit, quam opes longe amplissimas, & profecto, quamvis cæteris honore emineret, nihil tamen præter villam sibi comparavit, cujus annuum redditum 100 duntaxat libræ argenti æquabant. Verum felicitatem hanc, qua usus est, MDXXXIII adversa excepit fortuna; nam Morus videns Regem cum Curia Romana plus nimio diffidere, seque Annæ Bolenæ, cujus amoribus, repudiata Catharina legitima Uxore, Heuricus perditæ illigatus erat, exosum esse, fatius duxit, si iniquo hoc tempore suo se abdicaret munere, ac reliquos vitæ dies curis omnibus vacuos exigeret. Haud diu quiete hæc perfrui potuit; nam non multo post per Regios Quæsitores evocatus, ut jure jurando projectæ ad omne pene scelus Regis subscriberet voluntati, quod dum facturum se negaret, in publicos carceres, Touver dictos, conjectum judicio non secus, atque infidelem, Patriæque proditorem (quamvis nullius criminis sibi conscius foret) conveniunt, tum

tristem capitis in eum ferunt sententiam, qua audita, tantum abest, animo ut conciderit, ut constanti vultu, infractoque pectore vitæ suæ præstolaretur terminum, quin in ipso supplicii loco, natura ut erat ad facetias prona, executori justitiæ dixisse fertur: cave barbam meam læseris, quæ omnis peccati expers est; vivere demum desiit MDXXXV. Scripta ejusdem typis edita sunt, inter quæ Utopia, & vita Richardi Regis Principem locum sibi vendicant. His Szapleton, & Burnet in Hist. Ref. Angl. vitam Thomæ Mori complectuntur.

QUÆDAM GENERALIA PRINCIPIA,
QUÆ REGNANTIS ÆQUE, ATQUE SUB-
DITORUM FELICITATI PLURIMUM
CONDUUNT.

C A P U T I.

Principem eo Politices studio imbutum esse oportet, quod Divinæ Legi fit conforme, secus sibi ingentem inferet labem, Regno multo maximam creabit perniciem.

Populorum amore dignum videri Principem, magna laus, quæ eum duntaxat manet, cujus mandata subditi excipere non possunt, quin diligant; neque diligere, quin eadem fideli exequantur animo; agnoscant enim in Principe Patrem, in Patre Principem venerantur, cum & saluti succurrat, & fortunis subveniat, & laboran-

tibus opituletur, ut adeo nunquam eum aut nasci oportuisset, si aliquando ei moriendum est, aut nunquam mori, si jam natus est. Hujus, mi Princeps ad summa nate! effigiem in animo efformes tuo, si Regnum latis auspiciis adire, lætioribus gubernare, lætissimis dignitate defungi velis; verum tantam abest, ut hac re Tuam, tuorumque expleas voluntatem, nisi eo Politices Studio jam a teneris sis imbutus, quod Legi Divinæ conforme est, ut Tibi ingentem potius inuras labem, Regnoque, cui sufficiens es, multo maximam parias perniciem. Quamobrem e re mea fore existimo, negotium, quod orsus sum, ita Tuæ subicere menti, quo intelligas, quid in Te, quidve in Tuis requirendum sit, ut non modo Rex, sed & Pater Patriæ subinde ab omnibus audias.

Si Politici originem ea, qua par est, attentione inspiciamus, haud aliud innuere videtur, atque hominem, qui Reipublicæ salutem tum opere,

re,

re, tum consilio præsto est; nihilominus ea nonnullorum animis infedit opinio, ut quidquid aut sublesta fide, aut contra, atque æquitas exigit, agi observent, id politico modo fieri arbitrentur, ex quo arguere licet; eos prorsus non intelligere, quid veram inter, & falsam politicam intersit. Profecto multum a Politici natura abluere videtur is, qui Protei Personam perquam meditate induit, ac tempori duntaxat, personisque servit, amphibium hoc animal est, & monstrum iniquitatis. Talem, mi Princeps! cave a secretis habeas, ne ipsius verbis perditæ irretiaris, ac non multo post occidentem Regni felicitatem lugeas, fugientemque ejus fortunam, aut nunquam, aut ægre admodum revocare queas. Quamobrem quisquis normam regendi Legi Divinæ conformem esse non debere contendit, is una fateatur, necesse est, se in summum discrimen Regnum adducere velle, ex quo haud aliud elicio, quam rationem gubernandi non oportere ex

Epicuri, aut Machiavelli principiis depromi, neque Politices regulas cum illis confundi; veritates illæ sunt, hæc sophismata. Et sane tantum a Politica differt perversa status ratio, quantum vox Jacob a manu Esau, quæ sefellit senem Patriarcham Isaac; speciem illa boni præferre videtur; sed hoc amplius pariet periculum, quominus suspecta est fraus, virtute obtecta. Digni igitur ii Politici, ut eorum memoriam nunquam posteritas cum laude alat, qui cum munere publico artes suspectas, flagitia, & fraudes conjungunt; e quibus enim Provinciis verus Dei timor exulat, in iis opus est, ut Magistratus acrius in subditos deserviat, subditi mutuis cadibus se conficiant, exteri Regnum infestis armis invadant, ac omnibus exuant fortunis. Sed ut amplius rem mente complectaris; consule Historias, quæ Te actutum edocebunt, non alia re agris sædam vastitatem, civibus summam annonæ caritatem, Regno extremum exitium, quam perversis Politices

tices principiis, illatum esse, quin, si locus egissent ii, quorum curæ Provinciæ regendæ fuerent concreditæ, starent haud dubie permultæ urbes fama conditorum inclytæ, quæ suis in rudibus veterem suum splendorem lugent; starent Regna quondam celeberrima, quorum memoria dudum e posterorum memoria effluxisset, nisi scriptis forent consignata.

Scito igitur, mi Princeps! nullam scientiam, artem nullam excellentiorem, & humano generi magis necessariam esse, atque Politiam Legi Divinæ innixam; hæc enim omnem doctrinam Deo juxtâ, ac naturæ acceptam refert. Deo: nam qualibet potestas a Deo est, adstricta rationi, & legi supernæ. Naturæ: quia hæc innato appetitu fertur in communem civium felicitatem, quæ absque ea, quam requiro, Politia, tantum abest, ut subsistat, ut in ruinam vergat potius, est necesse; quamobrem salus univerforum in probe ordinata Republica *Suprema* lex esto; bonæ et-

enim leges sunt Reipublicæ nervus; at injustitiæ,
 & effrænâs licentia tempeſtâs eſt multo periculo-
 ſiſſima. Cave itaque, exiſtîmes, dignum Princi-
 pe regnandi modum cum veræ Religionis princi-
 piis componi non poſſe, niſi Regnum discipli-
 nam ſclerum haberi velis; nam quidquid Re-
 gnantes habent, Deo debent, nimirum: poteſta-
 tem, provincias, victorias, pacem, tum permul-
 ta alia, quæ recensendo multus forem, e quibus
 haud aliud concludes, quam Principes Deo ſup-
 plices eſſe oportere, qui ea tribuere, & tollere
 poteſt. Et quo in excellioris honoris gradu quis
 fulget, eo majori cultu in ſupremum ſeratur
 Numen, neque ſuperbia elatus ſibi ſecundas res
 adſcribat; ſecus naſcentis ſuæ fortunæ interitum
 trîſti ſuo damno experietur. Exaltavit ſe im-
 pius Philîſtæus, a paſtore inermi proprio jugu-
 latus eſt gladio. Erexit ſe Adonias, mox vita
 perinde, atque Regno fuit privatus. Inſup-
 Roboam, ſciſſum erat ab eo Regnum Patris
 ſui

ſſi. Quibus allatis, memorem Te eſſe velim illius Poetæ: felix, quem faciunt aliena pericula cautum.

Plurimum quoque, mi Princeps! Tua intererit, videre, quos in partem laborum adſcifcas; omnibus enim Te tuto concedere, haud potes, etſi obeundis muneribus pares fortaffe videantur; eos itaque delige, quos ingenium acre, ſolida ſcientia, mores ad Chriſtianas leges exacti, ac multus rerum uſus commendat; ſint cauti, non ſubdoli; conſtantes, non proprio iudicio inhærentes; juſti, non ſeveri; graves, non elatæ mentis: celeres in agendo, non præcipites; plus aliis, quam ſibi nati, ex his ſequitur Viros Politicos Ethices quoque principiis debere probe inſtructos eſſe; nam iis aſſiſtit Deus, ut cum utilitate Patriæ ſuo fungantur munere, nec privata facultatis augendæ ſtudio abrepti mentem a promovenda Reipublicæ ſalute abducant. Nulla autem ex eo in Politicos culpa redundabit,

si consilia studiose celent, & quamvis non aperiant se aliis, quæ sentiunt; sat est, si agant, quæ recta sunt; simulatione enim, & calliditate ita utuntur, ut non habeant, quo facti ipsos pœniteat. Politicos viros celebres appellat ipsa sacra pagina; consilia ineuntes cum intelligentia, ducentes populum constantibus consiliis, & intelligentia juris popularis.

Verum quemadmodum perquam difficile fuit, formare quampiam Rempubicam e norma Platonis, vel belli Ducem e Xenophontis præceptis; ita æquè arduum est, invenire homines, qui omnibus numeris absolutam civilis sapientiæ theoriam, & praxim fuissent consecuti. Quare enitere mi Princeps! ut Te, tuosque veræ Politicæ regulis imbutos, Regnum tum videat, tum experiatur, & una in sublimi dignitatis gradu recordare Dei, cui omnem, quam nactus, aut porro nactus es, fortunam debes. Tales Milesius senio jam confectus admiratu dignum natu-

ræ secretum Madritæ Philosopho Sirenensi communicavit, qui dum ei grates ageret, sciscitabatur ex eo, quam mercedem habere vellet, reposuit Thales: par doctrinæ lucrum me retulisse judicavero, si id, quod a me didicisti, cum proferre volueris, tibi non adscripseris; quanto pleniori jure hoc abs Te exigit Deus, ut omnia non tibi, aut fortunæ, sed Illi accepta referas.

C A P U T II.

*Principem ea agere oportet, quæ felicitatem
Reipublicæ conservant; ea vero fugere,
quæ labefaciunt.*

In omni re videre, quid expediat, prudentiæ est, illud persequi, constantiæ: hoc ubi videris, mi Princeps! si deferas, quamvis constantiam aliis in rebus præferas, levis es; si retines, etsi levitatem alibi admittas, constans

es; nunquam tamen majori jure hujus virtutis laudem Tibi vendicas, atque si ea continuo agas, quæ felicitatem Reipublicæ conservant, cujus formas, haud scio, an plures, ac tres, sim deprehensurus (quæ enim apud Tyrannos obtinet, eam his inferendam nequaquam judico) videlicet: monarchicam, aristocraticam, ac democraticam, quarum postrema a Scriptoribus minus probatur, quam ubi ad unum, aut ad optimates omnia referuntur, nec abs re; nam in democratica multo amplius utilitas populi, atque jus spectari consuevit; eam ob causam Anacharis acrioribus olim perstrinxit verbis Athenienses, qui justitiæ administrationem iis non raro detulerant, quos furor potius ad irrogandas aliis pœnas impulit, quam legum severitas inflammavit; quam tamen regendi formam stabilem reddi posse, ajebat Xenophon: si Viri tenuioris facultatis præ divitibus, ac optimatibus clavo Reipublicæ præficiantur; nihilominus quamvis istud

non parum fortasse roboris polliceatur; multum tamen illud officit; cum in democratico statu, donec Magistratus populo non subjiciatur, quietis exigua admodum spes affulgeat; accedit & illud, quod multorum capitum sensus sint varii, & in hac rerum perturbatione vix constans iudicium. E quibus manifestum est, tum monarchiam, tum aristocratiam, præferendam esse democratix.

Tandiu autem cujusvis Provinciæ felicitati pro dignitate consulatur, quamdiu, qui iisdem summa potestate præsunt, omnia referunt non ad suam utilitatem, aut libidinem; verum ad ipsius Regni commodum, & salutem, idque non sublesto, ac simulato animo. Nihil tamen perinde ad Reipublicæ salutem non alendam duntaxat, sed conservandam etiam confert, atque si Princeps, quemadmodum ait Bias sapiens: primus omnium pareat legibus; nam populus quamvis tædio perficiendi oneris caperetur, ad agen-

dum nihilominus accendetur, cum Principis ea sit conditio, ut, quod ipse facit, id aliis præcipere videatur; quæ res usque propria fuit Agesilao, ut, siquid foret, quod per milites summa celeritate confici vellet, primus coram oberrans labori manum admoverit, quo ad industriam pudore ipso excitarentur.

Jam si his probitas morum tum Regnantis, tum populi accesserit, necesse est, ut votis optatus singulis in rebus eventus respondeat; eam ob causam omnium calamis, & vocibus laudanda Severi Imperatoris morientis verba: firmum Imperium meis fore polliceor, si boni fuerint, si mali, imbecille. Noverat hoc Theodosius etiam, qui teste Nicephoro, illud duntaxat testamenti instar reliquit filiis, nempe: pietateem ut coleant, haud ignarus, in hac cumprimis universam Imperii fortunam niti. Quibus licet omnis pene Reipublicæ felicitas circumscribatur; nihilominus perquam necessarium fore existimo, si

alia quoque in medium adducam, quæ Regno-
rum salus conservatur, quæ Tecum, mi Prin-
ceps! fide integra non communicare, religioni
mibi ducerem, cum quid Te agere par sit, &
dignitas exigat, & æquitas postulet, nimirum:
ut bonarum legum authoritas suo in flore nullo
non tempore persistat, Magistratum in obeundo
munere prudentia, diligentia, & alacritas elu-
ceat, tum populi erga sibi præpositos obsequium,
civium inter se mutua concordia, & consensus,
optimatum in plebem paternus animus externos
ipsum in admirationem rapiat; e quibus haud
dubie profluet juris cuique sui tuta possessio, &
conservatio, privatarum familiarum recta institu-
tio, honestorum morum observantia, pauperum
civium publica cura; his itaque Reipublicæ cu-
jusvis salus nititur, conservatur felicitas.

Quamobrem naturam, si lubet, inspicere, or-
bem peragra, mox comperies, ex dissimilibus,
ut ait Lipsius, probe compositis optima enasci.

Elementorum sibi adversantium temperies universam naturam conservat, nutrit, & delectat. Diffimillimæ in musica voces in æquam harmoniam conjunctæ concentum multo suavissimum edunt; non secus diversitas in Regno graduum, munerum, honorum, tum civium, militum, divitum, pauperum, imperantium denique, & obsequentium, Rempublicam, ut ita dicam, harmonicam, potentem, conspicuam efficiet; neminem enim latet, industria, dexteritate, unitate, disciplina in immensum crevisse Provincias. Dux autem res venerationem eidem parient, nempe: si militiæ robur, quod in limitibus alienis Regionibus aditis alitur, terrorem cunctis injiciat, ac una cives, quos Regnum sinu suo fovet, Christiana se complectantur charitate.

Neque illud silentio prætereundum est, utrum e duobus eligendum sit, an Rempublicam præ civibus felicem, ac divitem esse; an cives præ Republica, mi Princeps! si a mea opinione sta-

re velis, in eam inclino sententiam, ut Regni opes privatorum fortunis anteponam; nam illo felice, hi quoque conservantur; beatis autem civibus, Regnoque misero, salute cuncti periclitabuntur. Cave vero intelligas, me plebem opprimi, ac facultatibus spoliari velle; cum me haud lateat, non raro a plebe oppressa, ac spoliata Rempublicam vanaalem fieri; sed illud duntaxat contendo, miserum illud Regnum, quod usque exhaustum est viribus, ut nec paci fovendæ, nec bello gerendo par esse videatur. Tria equidem, ut memini, pessumdedere Rempublicam Romanam; proprium commodum, juvenile consilium, & latens odium; quamquam summis Rebuspublicis diu stare negatum sit, currunt hæc suam periodum, non secus, atque cætera omnia.

Illud autem non modo difficultatem creat multo maximam, verum etiam diuturnitatem ægre admodum pollicetur, cum ab antiquis ducta regendi consuetudo plebi invisam subit mutatio-

nem, nisi firmissimis præsiis nova illa munia-
 tur, ut spe amplioris commodi percipiendi ci-
 ves eidem afuescant; nam, ut mea fert opinio,
 omnes Reipublicæ formæ non corruptæ, bonæ
 sunt, & illa mihi videtur optima, quæ dudum
 jam obtinet; omnis enim mutatio periculo est
 obnoxia. Princeps quoque Regnantis cura sit,
 ut, cum in singulis suis Provinciis coram adesse
 nequeat, eos obeundis muneribus præficiat, quos
 integra fides commendat, quamquam accidat,
 ut horum etiam nonnulli a recto agendi modo
 desciscant, qua re nihil in Republica deterius;
 quia corruptio optimi pessima; corruptionis ve-
 ro causæ ut plurimum a nimia quorundam opti-
 matum potentia profluunt, aut a simulatibus,
 quas inter se fovent, aut ab honoribus, quibus
 multo tempore fulgent, ut iis se privari non
 posse existiment, sed velut necessarios iisdem
 muneribus arbitrentur, aut denique a livore,
 aut ambitione suam trahunt originem; quamob-

rem suffocandum erit malum, quod serpit, antequam erumpat, minuenda eorum potentia, quæ multis exitio futura videtur, aditus ad honores præcludendi, similitates quoque maturo consilio extinguendæ, vel sublatione causarum, vel separatione personarum. Verum longe præsentissimum ei Provinciæ exitium impendere video, teste Platone, in qua non lex Magistratibus, sed legi Magistratus præfunt; salutem autem illi adesse, ubi lex Magistratibus dominatur.

C A P U T III.

Regendæ methodum, qua Princeps utitur, ordo, & leges commendent.

Neminem nostrum latet, leges in qualibet Republica, haud secus considerari oportere, atque pharmaca, quæ ubi multa, & varia fuerint, non tam profunt, quam efficiunt; ita

ille

illa saluti Provinciæ non consulat, sed eandem summo objiciunt discrimini; qua super re sermonem dum institueret Plato, ait: ubi plurimæ leges, ibi & lites nascantur, ac improbi mores dominantur necesse est, quod asserendo a veritate nihil prorsus abluere videtur, cum id gentium perinde, atque temporum multus comprobet usus. Si lubet, memoriam Reipublicæ Romanæ tantisper repetamus, quæ sub initium paucas admodum habuit, tum non multo post Decemviri plures adjunxerunt. Olim Anglia, Gallia, Hispania, Germania, earum fere expertes erant, demum labente tempore, ac adolescente Regno, longe plurimas a diversis nationibus sunt mutuatæ; verum quo fructu? haud alio, atque ut lites non paucæ succrescerent, tutaque fortunarum desineret possessio. Europam intueri, cujus major pars in iis componendis pene defudat; nam cedo tam claram legem, cui lege alia, aut interpretatione obscuritas aliqua non inducatur, aut

da usque improbam, quæ virtutis colore non vestiatur? profecto concludimur omni ex parte, & velut obidemur legibus; tantum tamen abest, ut incolis rerum familiarium securitas reddatur, ut litium copia, ac assiduæ controversiæ majus in dies accipiant incrementum; nam, ut mihi videtur, non multæ leges probos efformant mores, aut æquum efficiunt jus; sed pauca ea, qua par est, fidelitate servata.

Julius Cæsar dum suprema jam inter Romanos potiretur dignitate, partem curarum eo convertit, teste Svetonio, ut jus civile ad certum modum redigat, atque ex immensa, diffusaque legum copia, optima quæque, ac necessaria in paucissimos conferat libros; facta nihilominus inviderunt. Perinde Vespasianus egisse fertur, qui, extinctis bellis civilibus, cum litium series majorem in modum excrevisset, quibus finiendis vix suffectura litigantium ætas videbatur, singulas ad brevissimum numerum redigi jussit, ut mu-

tua odiâ, quæ ex iis pèrſæpe ducunt originem, ſopiret, averteretque injurias. Quamobrem mi Princeps! ſimulatque Regno admotus fueris, actutum omnes cogitationes eo intendas, ut regendi methodum, qua uſurus es, ordo, & leges commendent, quin & dignus judicaberis Regnantis nomine, ſi una legibus obtemperaveris, quas ipſe populo præſcripſeris; non enim Rex eſt extra Reipublicæ corpus; ſed præcipua ejus pars. Interrogatus vice quadam magni nominis Dux: quisnam Regum foret maximus? reſpondit: qui ſibi libentius imperat, quam aliis. Ipſe itaque inſtitutor primus viam ingrediatur oportet, & mox ſequentur alii; ea de cauſa agebat Sotus: quamvis ſua Principem lex non cogat, non id cauſæ eſt, quod ipſe ea non egeat; verum quia lex natura ſua id exigere nequeat. Princeps igitur legibus eſt ſolutus, ſi vim cogentem conſideremus; nullus enim ipſum iudicio convenire, ac condemnare poteſt, ſi adverſus legem agat.

Porro si vim dirigentem inspiciamus, quis in dubium vocabit, Principem suis legibus subiectum non esse? quod tum jus Divinum, tum civile inspicienti patet, neque opus est, rem argumentis firmare. Accedit & illud Catonis: patere legem, quam tu ipse tuleris.

Noveris insuper præcipuam regnandi scientiam in recto ordine imperantium & obsequentiam sitam esse; ordo autem legis effectus est, lex regiminis, regimen imperii, ut adeo status concipi non possit sine imperio, ordine, & lege: nam hæc eundem ita constituunt, ut hoc pereunte, illæ quoque intereant, illis emortuis, hic una extremum sui videat interitum. Multum idcirco salutis Reipublicæ interest, illam administrandi formam inducere, cujus ipsa capax sit; non enim gens quævis idem patitur frænum, non idem commodum quemvis respicit statum, cui, cave existimes, homines impertiri formam; sed a nexu quodam causarum naturalium; cum primis vero

externarum illa enascitur, quæ tandem agunt, ut ordinem Regni eo deducant, ubi stare firmiter, & quiescere liceat; eam ob causam varias subiisse vicissitudines persæpe legendo accepimus, & demum forti persistisse pede comperimus. Quilibet autem status sex præcipua complectitur munia: cultum Dei, tribunal justitiæ, opes, arma, artes, & annonam, quibus pari numero respondent hominum classès: Ecclesiasticorum, Magnatum, Nobilium, Militum, Civium, ac rusticolentium, hi nisi mutuo sibi succurrant, non modo felicitati Reipublicæ non consulatur, sed salute ipsa periclitabitur potius.

Quare mi Princeps! cum Regni fortunam optimo ordine augere, ac conservare possis; velis etiam sollicita eidem cura succurrere; offendes quidem sub initium in quosdam nævos, qui neglecti haud dubie ruinam invehent; fac itaque eos mox evellas, ac extirpes. Neque illud coram silentio prætereundum esse censeo, persæpe

amplius providendo, quam agendo; cavendo, quam præsumendo Reipublicæ salutem Te consulere posse. Verum nihil perinde præsidio fore iudico, atque civium concordiam, quam prudens ordo parit, nutrit, ac conservat; fasciculus enim probe junctus non modo non rumpitur, sed rumpere potiusvolentium vires elidit; ast divisus mox a quovis rapitur vento. Postremo idem ordo exigit, ne rebus tuis indormias; verum Argi instar pervigiles ad omnes internos motus habeas oculos, tum cognoscas, quid agant vicini, quid fœderati, quid ipsi hostes moliantur? quo pacto nullus dubito, quin non modo Rex, sed & Pater Patriæ ab omnibus habearis.

C A P U T IV.

Imperantem multo felicissimum reddet, si cognoscat genium, & naturam subditorum.

Nulla re Princeps amplius se in fuorum amorem insinuabit, neque feliciter nanciscetur regimena, atque si noscat genium, & naturam sibi subditorum; omnes quidem sub uno caelo in lucem editi sumus; variae nihilominus inclinationes, mores diversi id efficiunt, ut, qui iidem esse videmur, a nobis plurimum differamus. Haec quisquis eo, quo oportet modo considerat, regendi methodum sibi multo facillimam reddet; eam ob causam in gubernandis subditis praecipua habenda est personarum ratio; non enim omnes idem patiuntur jugum, cum alii comitate, & dulcedine, alii virga ferrea, alii exemplo, alii spe gloriae, & mercedis, alii minis, alii denique vi-

his suppliciis trahantur ad obsequium; quemadmodum ingenuam, vel pervicacem fortiti sunt naturam, aut timidi sunt animi, vel prorsus abjectæ audaciæ. Ex his, quos fortuna tenuioribus facultatibus instruxit, multo lubentius parent imperio, atque prædivites, vel etiam afflictæ fortis subditi, hi necessitate quadam compulsi, illi superbo spiritu inflati legibus sese subicere non raro abnuunt.

Singulare imperium abhorrent homines, & facilius omnes, quam singuli obediunt; nam nec oves singulæ, sed grex universus sequitur pastorem, auditque promptius tibiam; effrænes subditi plerumque pro genitore habent furorem, & pro matre instabilitatem; si enim mutuo voluntatis jungantur vinculo, leonem agunt, quod si animo divisi sint, capram imitantur. Accedit & illud, quod concordēs, & unitos cives metuunt mali Principes, foveant boni, dum his præsidio sint; illis vero exitio. Quamobrem

haud scio, an ex ulla re major gloria Regnanti veniat, quam si de eo dici possit: amat, & amatur a subditis; verum oportet, ut prius sibi suorum devinciat amorem, tum cuncti, quos imperio subjectos nactus est, ejus in omnibus explebunt voluntatem. Vide, paucis quam multa complexus fuerim; supersunt nihilominus alia, quæ Principem perquam meditate tenere necesse est; fecus pluribus se periculis implicitum fero nimis advertet. Caveat itaque, quisquis suprema potestate cæteris præest, ne fidem subditis datam violet, ne in Religione, aut rebus Sacris mutationem inducat, aut mores, idioma, aut vestitum genti proprium mutet; verum enitatur, ut incolas nova spes commerciorum cum exteris alat, rerum abundantia eosdem recreet, quin & suppliciorum rara admodum audiantur exempla, æqua in omnes exerceatur justitia, denique illorum, qui patriæ in acceptis referunt originem, præ cæteris habeatur cura, & æstimatio, quæ tantum

in animis hominum roboris habent, ut ipsis Tyrannis stabilem reddant sedem; legitimos Principes in immensum provehant; & sane hæc multo firmiora regnandi media scito, quam arma, opes, fœdera, & quæcunque alia.

Reflectamus jam tantisper mentem ad eos quoque, qui haud dudum Regnantis subierunt imperium, & quanta super iis opus sit vigilantia, penicius inspiciamus. Populus recens subjugum missus raro admodum fidem novo Principi promissam servabit, nisi quædam ab eodem commoda habeat expectanda, quibus contineatur in officio; actutum enim ex animis subditorum memoria præsentium, novorumque imperantium effluit, & gignitur desiderium antiquorum, simulatque desunt speratæ utilitates, aut eadem subtrahuntur. Ne itaque eos novi regiminis tædium capiat; sed ea, qua decet, fidelitatem impleant mandata, optimum fore judico, si oneribus, & tributis antiquis leventur, ac egestate

pressis ex ærario publico subveniatur, ut se
 priorem sortem multo meliore commutasse expe-
 riantur; nam natura ipsa insitum est hominibus,
 ut libertatem aspirent, excussoque jugo eidem se
 se afferant. Hi sub initium haud ægre inducun-
 tur, ut credant, nova omnia esse meliora, sed
 post paululum insolescere, quin & insultare po-
 testati non erubescunt, inmemores illius: subdi-
 tos teneri obedire legitimis suis Principibus, non
 politica duntaxat, vel gentium, verum lege
 ipsius Dei; quemadmodum ex sacris paginis pa-
 tet. Subjecti estote sive Regi, quasi præcellenti,
 sive ducibus, tanquam a Deo missis; quia sic est
 voluntas Dei. *1 Pet. 2, v. 13.* Non resistite pote-
 stati, sed obedite, sicut Christo; non solum bo-
 nis, verum etiam discolis. *Eph. 5. v. 5.* Qui po-
 testati resistit, Dei ordinationi resistit. *Rom. 13.*
v. 2. Principi populi tui non maledices. *Exod.*
22. v. 28. Deus regnare facit hominem hypocri-
 tam propter peccata populi. *Job. 34. v. 30.*

Et sane probatæ vitæ subditi nunquam imperantium iram in se provocant, sed nocituram potius potentiam vitant, hoc primum cauti, ne vitare videantur; tuto itaque agunt ii, qui nec aulae limina terunt frequentius, nec arcana scrutantur Principum sagacius, nec facta eorum in examen vocant curiosius, sed suo intenti muneri, prompti sunt ad obsequium, idque præ aliis exequi nituntur, quod jubentur, præstare. Principes enim nihil ferunt acerbius, quam suorum expostulationes, ac beneficiorum in se collatorum jactantiam; quamobrem non qualecunque obsequium, sed modestum, humile, efficax decet exhibere subditos sibi dominanti, quorum nonnulli faciles quidem sunt ad turbandam in Regno quietem, si florente pace illorum conditio multo gravior sit, atque fervente bello fuerit; nam ut quisque populus maxime se dignum immunitate existimat, ita sublesto conatu insidiatur ei, qui libertate ipsum privavit, numerat-

que momenta, ut se eidem afferat. Tuæ igitur, mi Princeps! felicitati, Regniq̄ue salutis ut consulas, cave indulseris, in novo Principatu cives longo tempore armis, & bellis ut afuescant, secus ferociorem induent naturam, ac magis domnandi, quam obsequendi avidos eos experieris. Perinde Tua plurimum intererit, ne novæ arces, ac munitiones ab iisdem excitentur, quæ hominum ad rebellandum proclivium magis asyla, quam concordiam fovere volentium præsidia fore videntur; quin ea de re suspecti ut in officio contineantur, armis quoque præmature exuendi erunt. Et quamquam subditos rebelles puniendos censeam; non tamen ea pœna, quæ eos in desperationem agat, quin si necesse etiam fuerit, armata manu eorum audaciam comprimere, favore quodam demum conciliandos perquam necessarium esse arbitror, quo suum errorem agnoscant facilius, ac una detestentur.

Sed quæris fortasse ex me, quid facto opus sit, si spreta Regnantis clementia, rursus publicam quietem turbare moliantur? sub id temporis Princeps quasi omnis paterni animi expers multo durius, atque imperantis dignitas exigit, eosdem regat; verum non antea, quam Regno plena securitate reddita, factaque cum vicinis, & hostibus pace; secus verendum est, ne longe funestius erumpat incendium. Id quidem citra dubium est, sublata, olim a Regnantibus data, privilegia admodum commovere populum, ut non formidet ad explendum suum furorem nefarias machinationes agitare animo, ac virus, quo tabescit, latius diffundere cum maximo Reipublicæ damno, quemadmodum permulta tristia docent exempla. Pari ferme modo immunitates prorsus inæquales inter subditos, qui iisdem sunt adstricti legibus, eundemque venerantur Principem, non raro discordiam, & civiles seditiones creant.

Privilegia, ac exemptiones fundantur quidem in justitia distributiva; multum tamen derogant legibus; nam mutuam animorum concordiam non raro dissolvunt; eam ob causam haud pauci successores indoluere Majorum suorum prodigali agendi modo, qui in indulgentis immunitatibus non ea, qua oportuit, cautela usi fuisse videntur; jura enim suprema Majestatis communicare subditis, est fere vanum exponere Majestatem imperantis. Indignum profecto semper est habitum, subditos, quorum gloria est in obsequendo sita, jactando sua privilegia insultare Principi; ingratitude est, non velle fateri, ex quo fonte illa promanent. Quibus non id contendendo, nulla ut concedantur, sed ea duntaxat, quæ virtuti, & meritis debentur, non quæ multo emuntur auro. Magna quoque prudentia est, nosse deprimere eos, quos metuit Imperans, & evehere, qui sibi faceffere negotium minime audent. Ad extremum, si cui potentia plus quam

æqua minuenda foret, succide magis, quam tolle; quosque formidas, cunctando cum iis age, suspectos palam cole, clam observa, nunquam eleva; fidos vero amicos non servato etiam dignitatum ordine promove. Hæc itaque sunt, quæ felicitati tuæ plurimum profutura confido.

C A P U T V.

Plurimum Principis interest, ut in suorum amorem se insinuet, neve eorum odium incurrat.

Magna quidem gloria Principi a corona, & sceptro venit, verum multo ampliore laude eum cumulant merita, & actiones Regiæ dignitatj conformes. Æquum idcirco est, ut, qui potestate cæteris præest, præ aliis etiam integritate morum emineat; nam Imperantis sublimis honos haud secus examinatur, atque avium princeps

ceps aquila, converſis in ſolem oculis. Omnia autem Regnantum fama, quæ ſeu a virtutum ſplendore mutuantur, ſeu a vitiorum nanciſcuntur turpitudine, neceſſe eſt, ut in ſingulorum verſetur ore, quæ ægre admodum cum ipſis Principibus emoritur; ſed eandem poſteriorum quoque memoria cum laude, aut vituperio alit; quamobrem non raro eveniſſe, librorum lectione accepimus, ut, qui hominum de ſe judicia parum morantur, iidem virtutes etiam poſtremo ponant loco, nullisque præclaris factis nomen ſuum poſteritati tranſcribant; cum tamen Princeps recens creatus haud aliter ſuorum oculos in ſe convertat, atque in orientem ſolem cuncti intenduntur.

Felix proſecto, menſuramque tanti Nominis implet, qui mox ſub initium obtentæ dignitatis omnium expectationi reſpondet; felicior, qui in meridie non languet, & qui ſub occaſum vitæ idem eſt, qui in oriente imperii fuit. Nulla autem re

facilius Magni Principis famam indipiscetur, quam si populorum animum lucretur, eoque pacto id consequetur, ut quam aliis in Regibus sparsam viderunt homines felicitatem, in hoc junctam intueantur. Primus itaque Regnantis conatus sit, ut in suorum amorem se non insinuet duntaxat, sed in ipsorum animis dominetur etiam. Nam longe valentior est amor ad obtinendum, quod velis, quam timor; amore imperia firmantur, subvertuntur terrore; amore neſtuntur, intereunt metu; solus amor ex imbecilli firmum statuit imperium; certioraque ab amore, quam a terrore obsequia nascuntur; misera enim est veneratio, quæ metu paratur. Ex his actutum cognosces causam, cur Lacedemonii priusquam manus cum hoste confererent, victimas amori immolaverint; non vero Marti bellorum Deo? credebant nimirum victoriam, quam lecturi erant, magis a subditorum affectu, quam ab armorum robore dependere. Toto igitur cælo aberrat, qui existimat,

tutum ibi esse Principem, ubi nihil a Principe tutum est. Multos metuat oportet, quem metuunt multi. Securitas securitate mutua fovetur, & amore conciliatur amor; magnes namque amoris est amor. Theodosius Imperator strenue, & fortiter pugnando, quot hostes prostravit? quot victorias obtinuit? quot triumphos celebravit? hæc autem an copiarum viribus? an Ducum peritia? an imperii auctoritate? non ita quidem, sed amore populorum circumseptus immortalem nomini suo peperit gloriam.

Quamobrem quisquis Principis munere cum laude defungi cupit, necesse est, ut Parentis unam personam referat, subditosque non secus, atque filios singulari prosequatur favore; prosequetur autem haud dubie, si eosdem alat publica rerum, sua dexteritate investarum, abundantia, abstrahat a malo, & corrigat sine odio; ad confectandas autem virtutes exemplo magis, quam præceptis alliciat; neque postrema Regnantis cura sit,

fit, ut iidem a teneris afuefcant prompto Reipublicæ obfequio; prout enim bonos fubditos efformat indefeffa Principis cura, & vigilantia; ita boni fubditi funt maxima Regnantis corona. Vide igitur, mi Princeps! ne in quemquam populo gratum, aut dignitate, opibusque valentem, quantumvis reum, acerbius, cumprimis fub initium regiminis, animadvertas; diffimula, fi indulgere non potes; parce, fi periculum defit; offenfus licet graviter, prius fecuritati tuæ, quam vindictæ explendæ ftude.

Nihil autem perinde firmam Tibi reddet Regni fecuritatem, atque fi omnem agendi modum ad patrias leges exegeris; nam Principi fecundum leges imperanti major accedit gloria, quam ex quacunque alia Provinciarum acceffione; nec abs re; cum enim diademate ejus infigitur caput, qui vitæ, necisque creatur dominus, jurejurando is fuam obstringit fidem, fe nolle abolere, quod olim conceffum eft, neque abalienare,

quod Regni coronæ est adnexum; ex quo elicere, quid oporteat, conjectura facile assequeris; Reges nimirum administratores duntaxat esse Regnorum, non Dominos, quique imperant, serviunt una iis, quibus imperare videntur; nunquam enim sunt a negotiis liberi, nunquam sui; intenti tam salutis publicæ curandæ, quam suæ custodiendæ; toto spiritu anhelant, ut suorum subveniunt necessitatibus. Sic regnare, servire est; correlata enim sunt honor, & labor; Regnum & onus. Planxit Seleuchus ex unius Regionis fastidio. Planxit Alexander ex plurium non tam Regnorum, quam mundorum desiderio; cum plures amplius non essent, quos suæ subiceret potestati. Sed amplissimas licet ditiones contineant Imperia, & Regna; eorum nihilominus folia ita sunt arcta, ut nunquam capiant duos, qui pari voluntate Reipublicæ salutis consulerent, suorumque in omnibus explerent voluntatem.

Ex pastoribus olim Deus constituit Reges; pastor non sedit in gregem ovium, sed ante se rara mansuetudine agit, deligit pascua proficuis herbis confita, exonerat lacte, pellem non iis exuit, sed lana tanquam gravi sarcina easdem liberat, tum gregis, tum pastoris commodo. Disce ex his mi Princeps! quid Tui juris, quidve muneris sit, ut Tuorum lucreris amorem. Repete, si lubet, tantisper memoriam eorum temporum, quibus Titus populo Romano jurabat, hic amor, & deliciae generis humani ab omnibus audiit; nam difficile erat discernere, utrum magis amaretur ab suis, an is suos ampliore prosequeretur charitate, qui eam ob causam Pontificatum Maximum se suscepisse professus est, ut in summo Sacerdotio puras a sanguine manus servaret, quamvis teste Svetonio, interdum ulciscendi causa non deesset.

Idem Fratrem Domitianum insidias fruente[m] nulla re læsit, aut minuit, quin precibus per sepe egit, mutuo in se animo ut esse vellet, & confortem, successoremque Imperii nihilo fecius semper nominavit. Interrogatus vice quadam Alphonfus cur in omnes admodum flagrante esset animo, quia inquit: bonos justitia conciliat; malos amor. Rursum, dum de nimia ejus lenitate quererentur Ministri; reposuit: quid? vultis ursos, & leones regnare? cum hominibus amor, & clementia; belluis vero feritas sit propria. Non opus est, pluribus ut contendam, virtutis hujus utilitatem multo esse maximam, quoniam, me quoque tacente, pervideas, quanta ex ea redundatura sint in Te commoda, si populum præcipuo quodam, eoque sincero amore Tibi devincias.

C A P U T VI.

Præcipua Regnantis cura sit, ut iis utatur consiliis, quibus nec sibi, nec Regno, nec subditis officiat.

Felix Regnum, quod eum veneratur Principem, cujus animus nec prosperis elevatur, nec dejicitur adversis; sed pari constantia omnes fortunæ vices excipit, ac in consilium suarum cogitationum rationem duntaxat advocat; memor illius: deliberandum est diu, quod statuendum est semel, quamvis moram neſtendo perſæpe pereat occasio, cum, teste Seneca, consilium e re ipsa nascatur, qua mutata, consilium una mutationem subire necesse est. Nemo paratos licet habeat colores, similitudinem formæ reddet, nisi constet, quid velit pingere. Scire quoque oportet, quid petat is, qui sagittam intendit mitte-

re, tum dirigat, & moderetur manu telum; erant eam ob causam nostra consilia, quia non habent, quo dirigantur. Nullum autem consilium melius, atque quod a Patre luminum est donatum; dum enim cœlum consilia versat, felices iisdem respondent eventus. Multo quidem utilius reguntur Imperia mediis, quam violentis, & pene cum præsentis discrimine conjunctis; nam raro admodum optatum fortiuntur finem, quæ temere suscipiuntur.

Acuta, & subtilia consilia, cum ægerrime executioni dentur, magis ea suspici, quam suscipi oportet; non secus illa, quæ verbis vestiuntur nitidis, ut speciem quamdam utilitatis præferre videantur, ad inania releganda esse existimo; sed & callida, ac audacia sub initium quidem læta, mox tractatu dura, demum eventu tristia observantur; nam audaces fortuna tantisper jurat in aquirendo; ast in conservando persæpe deserit; illud itaque consilium rejiciendum fore censeo, ex quo

quo amplius malum, atque utilitas expectatur. Quae vero cunctando ineuntur, ad tempus deliberationis, quam executionis pertinere arbitror. In ancipiti autem casu, ac summo rerum discrimine extrema consilia praë mediis nanciscuntur effectum. Quibus fide integra allatis, id paucis monitum volo Principem, ne tempus cunctando contra, atque periculi propalsandi necessitas exigit, consumat, nisi peropportunas rerum gerendarum occasiones negligere, ac elabi sinat. Illud quidem neminem nostrum fugit, in consiliis non modo dandis, sed accipiendis etiam prevalere praxim theoriae; consilia enim omnem suam vim, ac robur recto iudicio debent, eoque non secus, atque basi imitantur, quibus perinde pollent viri, qui potiore scientia partem a longo rerum usu indepti sunt, ac ii, quorum ingenium speculationibus duntaxat est refertum, neque eas in effectum deducere sunt unquam edocti, ut inquit Stagyrenus.

Cave autem, dicas: non magni ponderis esse ea, quæ negligentem inter, & præcipitem agendi modum medium tenent locum; firma potius dixeris, plenamque promittentia securitatem; quia in nullum declinant extremum; profecto medio tutissimus ibis, dum vel ad dextram impingere, vel ad sinistram errare necesse foret. Quod si periculis non involvimus salutaria consilia, ex mora validiora sunt. Suspicioni vero obnoxia ea scito, quamvis bonâ videantur, quæ a sublestæ fidei hominibus promanant. Nolim eorum quoque sententiæ accesseris, qui in ea exequenda seipfos periculo exemptos vellent, pessime sibi conscii, ne fecus res eveniat, atque coram suadere sunt adnisi; salutem autem Reipublicæ plurimum profutura illorum esse iudica, qui media etiam inter rerum discrimina spe sua non excidunt; verum erecto animo felicem suorum consiliorum præstolantur effectum.

Ad extremum, si Te summo Ministro privari contingat, vide, ne ab ejus morte consilia, quæ tecum vita comite communicaverat, cum authore emori sinas; nam ipsos defunctorum manes metuunt hostes, si eorum memoria in superstite Principe collapsa non sit; & licet in vitam revocari nequeant; nunquam tamen toti emoriantur, quorum consiliis firma stat Respublica; tantum nihilominus abest, ut pro dignitate Consiliarios suos æstiment nonnulli Principes, ut malo suo, etsi fero nimis, sapere discant, aliena sapientia destituti. Agesilaus Lacedæmoniorum Rex interrogatus, quas res habere Imperatorem oporteret? reposuit: adversus hostes audaciam, erga subditos benevolentiam, in opportunitate rationem, & consilium; eam ob causam Romani Principes Consules dicebantur, vel a consulendo civitatibus, vel a regendo cuncta cum consilio. Quid te jam, mi Princeps! agere par sit, tantisper cogita, ne forte

in excelso dignitatis fastigio iis utaris consiliis, qua Tibi, Regno, & subditis officerent.

C A P U T VII.

Principi quibus opus est Viris, ut a consiliis sint, & quid in iis requirendum.

Ad sustinendam Regni Majestatem, conservandamque ejus felicitatem, perquam necessarium existimo, ut Princeps in partem suorum laborum Viros integræ fidei, maturique judicii advocet; ex tot enim sapientibus, qui per omne ævum floruerunt, nemo adhuc post homines natos inventus est, qui se omnia scire profiteretur, quique prudentum Virorum consilio non indigeret; verum illi, si non excellent prædantia, si fide careant, si usu rerum deficient, magis præcipitem agent Principatum, quam sustinebunt. In rebus arduis nihil quidem utilius; sed

sed nihil etiam periculosius fore censeo, ac petere consilium. Neque minori periculo vacat, qui suo duntaxat stat iudicio; quemadmodum is, qui omnia agit ex alieno. Optimi enim gubernatoris esse duco, in maximis tempestatibus vestores quoque consulere; secus vero agere, temeritatis indicium. Neque opus est, ut Principi multi sint a consiliis, longe satius est, habere paucos, qui multorum personas pro dignitate referant; & quamvis Imperans singulari sit sapientia præditus; nihilominus non minuetur ejus magnitudo, sed vigebit potius, & amplius illustrabitur, si aliorum admittat consilia. Alexander a rebus præclare gestis magni cognomen est indeptus; nulli tamen rei admovit manum, quin super ea re Aristotelis exquisivisset sententiam, ingenti suo commodo, pari Reipublicæ utilitate.

Cæterum dotes eorum, quibuscum Princeps negotia Regni conferre solet, sunt: prudens, & maturum iudicium, multus rerum usus tam do-

mesticarum, quam externarum, nec non peritia,
 exactaque Patriæ cognitio, quoad arma, opes,
 leges, fœdera, amicos, hostes, vicinos, & sub-
 ditos, quibus necesse est, ut accedat vigilantia
 in eventus omnes, amor in Principem, ac Re-
 gnum, oris, animique integritas sine simulatione,
 tum respectu alienæ, tum privatz rei; eam
 ob causam omni præfidio firmitus est Imperium,
 ubi prudentum vivitur consilio, ubi autem
 ejus inopia adest, quid mirum, si inde emer-
 gat omnium malorum copia. Romanum Impe-
 perium tandiu floruit, quamdiu cives bonis con-
 siliis fuere usi. Pluresque Republicæ, ait Xe-
 nophon, occidentem suam felicitatem luxerunt
 administrantium culpa, quam hostium atrocitate.

Haud tamen scio, an ulla consilia majus pe-
 riculum Regnanti perinde, atque ipsi Provinciæ
 creent, quam ea, quæ ex privato quorundam
 deprompta sunt affectu, nullumque sincerum ex-
 pectandum ab illo, qui hoc sine fungitur mun-

re, ut sibi, suisque profit. Malum quoque indicium est, quando vix assumpti in dignitatem, mox opibus affluunt, etsi antea leviter a fortuna instructi fuerint, suorumque rem familiarem majorem in modum augent, quasi hæc ratio obtenti muneris foret. Quamobrem qui eo, quo oportet, modo a consiliis esse cupit, alienum abs se putat, aliarum coronarum suscipere curam, multo minus pensiones, quamvis cum protestatione non præjudicandi suo Principi; quia protestationes ejusmodi sæpe adversantur actui; mercenarii illi sunt, non fideles Consilarii. Non levem Regnantes ipsi contrahunt labem, qui relictis profundi judicii Viris, ac de Patria optime meritis, minus idoneos tantæ dignitati sufficiunt; non secus Regni salutem gravi exponunt periculo, si a suorum duntaxat consiliis pendeant, iisque fidem adjungant in omnibus, non prius discussa negotiorum veritate, quam subdolis illi vestiunt verbis, qui dominantur animo Principum;

pum; trahunt infelices, non ducunt; cogunt, non dirigunt.

Caveant itaque Imperantes, ne ad conclave arcanorum suorum ambitione inflatos, contumaces, secretorum servandorum minus tenaces, ac lucri quærendi avidos admittant; nam qui indignos munere a consiliis sibi deligunt, idem profus agere videntur, atque ii, qui amplis, superbisque basibus imponunt statuas pigmarum; demum cognoscunt, sero licet, eos impares tantis laboribus obeundis cum suo luctu, illorumque contemptu, ubi risu excipiuntur ab aliis; excæcant enim privatæ cupiditates oculos nostros, ne videant sua præcipitia e proximo vestigio. Cæterum conferamus omnes errores, quos a mundo condito admisere Regnantes, minus erasse comperiemus alieno, quam suo iudicio.

Vide jam mi Princeps! ejus felicitati præ aliis studere contendo, ne eorum premas exempla;

pla, qui suam in omnibus expleri desiderant voluntatem, etsi æquitatis leges nonnunquam misere vapulent. Consilia tuorum sunt libera, tum opiniones, & suffragia sine dissimulatione, affectu, ac respectu; imo in captando consilio, plurimum Tua intererit, ne, qui a secretis consiliis sunt, animi Tui sensa penetrent; secus turpi silentio prement veritatem, vel ad Tuum genium se fingent; cum tamen in quibusdam rebus tacere, pusillanimitas sit; in aliis loqui, temeritas, aliquæ vero non admittunt consilium, nec volunt, nec expetunt.

Summa igitur vis prudentiæ in eo sita est, ut Imperantis cognoscatur indoles. Si ingenium turbidum inveniant, nautas imitari oportebit, qui exorta tempestate, turbatoque cælo, tantisper mutata velificatione, farentibus ventis obsecundant, donec [ad opportunum locum navis appellat. Quod si Principis ingenium veritatem implacabili prosequatur odio, suæ quisque salu-

ti consulat, necesse est; quemadmodum enim maris, quod ferendis navibus pervium non est, nos tuto concedere non audemus; ita hujusmodi animo veritatem committendam non puto. Porro si ejusdem ingenium sit placidum, omnis prorsus aberit metus proferendæ veritatis, modo sit prudens, & idoneo tempore deprompta, quam haud dubie peramanter excipiet, ipsosque æquitatis studiosos honoribus, & beneficiis cumulabit, tamquam firmissimos Regni custodes.

Quanta jam felicitas in eos redundabit Principes, qui natos ad exequendum munus nati sunt Consiliarios; quanto autem amplior ipfos manebit utilitas, si suis liberum est, veritatem eo, quo oportet, candore eloqui. Alexander Severus Imperator tanti fecit optimorum consilia, ut nullam sanciret legem sine 20 Viris, iisque prudentissimis, nec ulla in re iudicium tulit, quin prius singulorum exquireret sententiam. Nihil autem cavendum Principi, atque mutare

Consiliarios cum primis intimos propter arcana, quorum conficii sunt; non enim una duntaxat vice accidit, ut unius actus, pluribus Regnantibus officeret, longasque secum traheret calamitates; tales deprehensos exilio tantum mulctare, haud aliud est, ac buccina canere velle arcana sui status, extinguere potius, aut perpetuo includere carceri, ejusmodi fatuos ignes factis erit.

E/re quoque mea haud alienum erit, subnectere causas, quibus Principes inducti nonnullos dignitate abire jubent; si lubet, paucis eisdem accipe: vel quia minus capaces videntur obeundi muneris, vel quia abutuntur dignitate, vel quod regnantibus non semper eadem arrideant consilia, adeo, ut quæ paucum ante tempus gratiosissima fuere, nunc illa tædium pariant. Non admodum rara sunt Principum inconstantia exempla. Deterriora plerumque eligunt, dum inconstantia animi laborant. Multo

tutius est conservare eos, qui integritate sua præscripserunt, quam illos quarere, qui primo incipiunt usu capere Imperantis animum. Quare opere pretium duco, ne pro tuenda, augendaque Regni felicitate plus nimio confidas ingenio, sed prudentibus Consiliariis utare, qui veritatem ea, quæ decet, sinceritate aperiant, non multis, & ornatis verbis; sed paucis, at magni ponderis; non enim oportet fieri per plurima, quod fieri potest per pauciora; sicque Tibi juxta, atque Patriæ quam optime confules.

C A P U T VIII.

Quis hominum delectus Principi faciendus est, ut dignis præcipue in Regno dignitates conferantur.

Probe noverant Veteres, virtutem suaspe natura comitem secum trahere honorem, non secus, atque corpus umbram; neque eos latebat, honorem esse præmium virtutis, non autem vitii; nihilominus non raro accidit, ut in conferendis dignitatibus parva admodum meritum habeatur ratio; cum tamen hac in re multo maximo sit opus delectu. Magistratus quidem non modo ingenii vires, sed & naturæ indolem periclitantur. Alii evadunt boni, quos metuebamus malos; alii mali, quos sperabamus bonos. Orane autem munus singulares una exigit dotes, quæ dum in singulis non inveniuntur, neque singuli omni muneri obeundo

videntur idonei. Viri ad summam nati dignitates meritis suis inferiores negligunt, nec eo, quo oportet, modo administrant.

Quamobrem majores virtute, majori etiam honore ornare, necesse est, solem imitando, qui licet omnia ædificia lumine suo illustret; illa tamen amplius, quæ fenestris instructa sunt patentioribus; perinde Princeps omnes quidem subditos pari complectatur studio; at illos præ aliis foveat beneyolentia, quos animo præstantiores, & ad res gerendas viderit aptiores; cæteros tamen non negligendo, optimi pictoris instar, qui non oculos duntaxat, & faciem, quæ potiora sunt, penicillo exornat; sed totam quoque imaginem colorum varietate convestit. Ecquid mirum, si sub Præfectis improbis, & ignavis, Regna quoque ad perniciem properent. Non est peritus nauclerus, qui, furentibus ventis, gubernaculum committit artis nauticæ ignaris. Summa itaque prudentia utatur Imperans in electio-

nibus faciendis, ne indignos ad honoris gradum eleuet.

Virtutis præmium honor est; eam ob causam Viri scientia perinde, atque probis moribus instructi nihil ferunt acerbius, quam dum observant, eos sibi præferri, quos magis subesse, quam præesse oporteret. Romani duo superba templa, virtuti nimirum, & honori sacra, construxere, ita disposita, ut ad honoris non alia via, atque per templum virtutis pateret aditus. Digni igitur laude habendi sunt, qui præesse Reipublicæ non possunt, quin eidem prodesse velint etiam, & qui Magistratu defuncti, celebres magis, quam divites evaserunt. Nec minor felicitas Regnantis est, talibus inniti posse, quorum integritati tuto fidere, ad quorum vigilantiam sine metu quiescere, & tantundem iis, quantum sibi concedere ausit, quique ad æquitatis leges usque suas exigunt actiones, ut nunquam sejungant commoda Principis a commodis Reipublicæ.

nec hujus emolumenta dividant ab illius emolumentis.

Hos ut in partem laborum adscifcas; Diogenis lucerna opus est; non raro enim admodum celant nonnulli sublestum suum animum, ut ad explendam Imperantis æque, ac Patriæ voluntatem non tam instituti, quam nati videantur; cum tamen virus foveant, augendisque propriis opibus duntaxat studeant; quare lynceis oculis si quando, nunc profecto utere, mi Princeps! nam si veritas linguæ, integritas cordis, ac indefessa laborum diligentia eos non commendet, cave dignitatibus illos præfeceris. Jam ut ex vultu lego tuo, tacitus sciscitaris abs me: quos igitur præcipuis Magistratibus idoneos judicare oportebit? vide non secus, atque æquum arbitrum decet, qui cæteros inter emineant prudentia in operando, memoria non facile oblivioni obnoxia, sagacitate in penetrandis difficultatibus, promptitudine in respondendo, vivacitate in arduis

duis

uis quibusvis superandis negotiis, claritate in resolvendo, longo rerum usu in promovenda Regni felicitate, denique præscriptione bonæ famæ, ut eorum fidem, & integritatem nemo unquam in dubium revocaverit; his dotibus quo amplius præstare aliis nonnullos expertus fueris, eo promptius illos promove, difficilias Magistratu abire sine.

Regere enim diversas Provincias, & abs se disjunctas, maximum onus est, cui impares sunt unius Principis humeri, nisi quorundam cura subleventur; cum & Atlas in auxilium vocaverit Herculem. Munia autem, quibus præficere necesse est alios, duplicia sunt: limitanea, ac quasi externa, & domestica, tanquam interna, de his non tam sollicitus sit Imperans, quam de illis. Limitanea subjacent diversis periculis; quia Præfecti eorum longe sunt a suo Principe, tum vicini hostibus, qui insidiantur eorum integritati. Quamobrem, ne quid sinistri moliantur, perquam

necessarium est, ut in ipsis Regni visceribus amplas possideant facultates, quarum amore capti non facile colludent cum adversariis, sintque matrimonio juncti, neque orbati prolibus; maturi ætate, nec amplius in fraudem proclives, non infensi suo Principi, non moribus turbulenti, & præcoces; nec munitionibus, castellis, opibusque nimis in ea, quam administrant, Provincia instructi, neque ullo sanguinis vinculo nexi vicinis potentiis.

E quibus conjicere licet, quam metuenda Patriæ imminere possit tempestas, si iisdem auctoritas concedatur aut solito major, aut ad longius tempus prorogata, hæc difficulter deponitur, illa vix sobrie exercetur. Suspecti vero Provinciarum Rectores actutum revocentur, quasi spe amplioris honoris obtinendi, ne illorum sublesta fides Regnanti suboluisse videatur; si autem ignis non jam sub cineribus lateat; sed in flammam erumpat etiam, confestim opprimen-

di, ne ex mora, aut dissimulatione exasperetur malum, nullo postea curandum ferro. Non morabor jam Te pluribus, cum facile mi Princeps! perspicias, quis hominum delectus faciendus sit, ut dignis in Regno dignitates conferantur, ne felicitate Tua pericliteris.

C A P U T IX.

*Violentus imperandi, & obsequendi modus
ruinam Reipublicæ parit.*

Cum præcipuum cujusvis Provinciæ robur sit, ut Princeps omnem suorum civium amorem lucretur, multo satius est benignitate, & præmiis, quam nimia severitate, & poenis sibi subjectos regere; secus verendum est, ne exasperatis subditorum animis Regni majestas tristem minetur ruinam, quæ cumprimis a violento imperandi, & obsequendi ordine enasci con-

fuevit. Huic duplicem aliam causam inferere iuvat, quarum altera extrinseca est, intrinseca altera, illam inimicorum invidia, ac odium parit; hanc injuria, timor, & contemptus creat. Inimici vel in sinu Patriæ continentur, vel in alienis degunt oris, utrique contentione, quam possunt, maxima enituntur, ut vinculum obsequii inter Imperantem, & obsequentem populum solvant, quo destructo, necesse est, Regnum sua felicitate periclitari.

Qui fortitudine animi cæteris præstat, tantum abest, ut aliis injuriam inferat, ut sibi potius illatam generoso pectore, parique constantia perferat. Abjectæ igitur mentis est, quisquæ ulciscendi studio æstuat, quo multorum iram in se non modo concitat, sed alit etiam. Alexander ægre admodum Hermolai offensi manus effugit; Philippus ea de causa a Pausania interfectus dicitur. Metus reciprocos Principem inter, ac subditos, malus custos est Regni con-

servandi; perinde enim illi metuendi, atque hic iisdem extremam pene meditatatur perniciem. Serpit interea malum, quod perverse pars utraque fovet animo; demum ex contemptu vilis redditur Imperantis maiestas, tum deficit, ac prolabitur. Dionysius Junior mortuo Patre perquam clementem se exhibuit; nam æs alienum, quo plebs obstricta erat, solvit; tributa triennio remisit; sed mox securus suæ dominationis naturam, quam subdole celavit, prodidit; non enim jam eum ratio ab errore retraxit, non Deorum timor a scelere revocavit, sed plenus furore non in sanguine duntaxat junctos fœdavit; verum aliorum etiam sanguine crudelitatem explere satagebat; ast nec ipse justas suorum criminum effugit pœnas; recrudit enim superstitum populorum animi vulnus, quod confuisse videbatur.

Id quidem certum est, contemptum vinci posse gravitate, & integritate morum, quemadmodum odium innocentia vitæ, invidiam liberalitate; nobilem tamen mentem multo amplius afficit contemptus, quam damnum quodvis aliud. Videant igitur subditi, quid eos agere par sit, ne injuria laceffiti actutum abs suo Principe alieno sint animo; nemo enim magis mortalium Deo curæ est, atque Reges, Principes, ac populorum Rectores, propter similitudinem illam potestatis supremæ, quæ in se quid Divinum continet. Omnis namque potestas a Deo est, & qui potestati resistit, Divinæ ordinationi resistit. Longeque gravissimam cælo infert injuriam, qui Regem contemnit in terris, cujus cor in manibus Domini, quemve Homerus singulare Dei donum hominibus datum appellavit.

Jure Divino, & gentium Regi debent subditi obsequium, nec his ille negare audet ullo tempore justitiam, consilium, protectionem. Hoc

enim

enim sine creati sunt Reges, jus ut dicant populo, consulant publico, & ab infestis hostium armis tueantur. Regnum, Imperium, Principatus in eo residet, qui ejus supremam habet potestatem. Id proprium Regum est, neminem præter Deum pati judicem, cujus majestas non Provinciæ amplitudini æquatur, aut potentiæ viribus; sed libertati imperandi. In exiguo Regno Rex tantæ potestatis est, quantæ maximus Monarcha Europæ. Principio rerum, gentium, nationum imperium penes Reges erat. Cœpere illud Cainus ante, Nemrodus post diluvium, & pene sine æmulo.

Demum adolescente mundo nonnulli habendi libidine abrepti supremam in alios potestatem ab armis sunt mutuati, neque externos tantum privarunt opibus; sed suorum etiam rem familiarem extenuare sunt adnisi, quo id effectum est, ut, scissa mutua animorum concordia, bella civilia longe funestissima sint exorta, qui-

bus fopendis ægre plures etiam anni fuere pares. Tantum itaque Reipublicæ falutis intereft, abftinere a violento imperandi, & obfequendi modo. Nullusque jam debito, quin amore potius, mi Princeps! qui pulcherrimas animo tuo inferuifti virtutes, reftus sis populum, quam pœnis, ac feueritate; nihil enim perinde odit ingenua natura, atque nimiam poteflatem, qua tantisper fe premi finit, tum ejus onus pertafa, ad extrema quæque prolabitur, ut læta fua felicitati medeat.

Quaedam particularia principia, quibus omnis Regni felicitas non computatur dumtaxat, sed conservatur etiam; ut sunt:

**RELIGIO, JUSTITIA, ARMA,
PAX, OPES.**

T H E O R E M A.

Nihil perinde ad felicitatem Regni tum procurandam, tum conservandam conducit, atque Religio; nam qui Deo fidelem se non exhibet, necesse est, ut Principi una infidelis existat.

Quemadmodum, qui domui ædificandæ manum admovet, opus est, a fundamentis laborem ut inchoet; haud secus is, qui Regni administrationem seu hæreditate, seu electione adit, à fulcro, & velut firma ejus basi, Religione ordiatur, sine qua, non Princeps muneri

suo, non subditi respondebunt. Neque scio, an ulla res tutiorem Imperanti reddat Provinciam, atque hæc, quæ omnem suam doctrinam Christo in acceptis refert, ex qua amor, & veneratio in ipsum Regnantem enascitur, nec facile exteri, aut subditi lædent, cui Numen amicum, & propitium arbitrantur. Quid? quod ipsi cives hoc pacto virtutis, tranquillitatisque colendæ amante evadant. Dic enim, amabo te, quæ res amplius animos, & mores componat, quam Religio? novimus, nemine, ut opinor, reclamante, primam, & omnem communionem hominum ab hac suspisse exordium. Nec ulla gens, teste Cicero-
ne, neque tam immanfueta, neque tam effen-
est, quæ non, etiamsi ignoret, qualem habent
Deum deceat, habendum tamen sciat.

Quamobcausam rerum publicarum primi fudatores omnem curam, atque operam eo converterunt, ut Religionem, ac Deorum metum suorum inferant animis, quibus eosdem in offi-

rio contineri posse arbitrabantur. Et quamvis Polybius inventum mere politicum id afferuerit; Numæ nihilominus Pompilio non mediocri felicitati cessit. Repetamus tantisper præteritorum memoriam, actutum deprehendemus Romanum olim Imperium Religione cumprimis ad tantam excrevisse majestatem; hac suos domi in ordine continuit, ac ejus specie ad ardua quavis accendit, ac inflammavit; hac exterâs gentes immanitate barbaras non modo subjugavit, verum etiam naturam a feris haud abfimilem exuere, ac in meliorem commutare docuit.

Magnam profecto vim Religio in animos hominum exerit, ac in ipsis prorsus dominatur; exemplo sit Alexander Magnus, qui Tyrum Judææ finitimam arcta obsidione cingens auxiliares copias ab Judæis petiit; sed repulsam tulit, quoniam cum Dario vetustius iis fædus erat; iræ igitur plenus, arma in illos vertit ulciscendi cupiditate æstuans, jamque prædæ, &

cædi destinabat omnia, dum Jaddus ejus temporis Pontifex hyacinthina stola indutus, capite tiaram, & in ea Dei nomen gerens obviam infesto processit cum cætu Sacerdotum, atque ita ferocem Regem objecta Religio movit, ut morposito furore mitis effectus summum in Sacris Antistitem accesserit, & non modo urbi, verum genti etiam universæ veniam, tum præmia, & honores impertierit. Videamus jam, neglecta Religione, quanta in omnes promanent incommoda! cedo, an non ii fidem erga Principem in subditis extinguant, mutuum animorum concordiam dissolvant, Patriam extrema pene calamitate involvant, in quibus nullus supremi Numinis metus, nullum jusjurandum, nulla Religio existit; ut adeo a vero nihil aberravero, si asseram, eos Regnanti fideles esse non posse, qui fidem Deo, quam debent, abnuere non reformidant, neque ad ejus mandata suos exigunt mores. Non opus est, testimoniis rem ut com-

probem, cum refertæ sint historiae tristibus hujusmodi exemplis, quorum memoria nunquam ex animis hominum effluet; sed seræ transcribentur posteritati.

EX QUO DEDUCITUR

COROLLARIUM I.

Princeps omnibus viribus enitatur, ut veram Religionem in Regno conservet; nullius vero fidei homines a munere amoveat, ac e sua Provincia exesse jubeat.

Nunquam eos Principes felices fore judico, qui veræ Religionis Christianæ promovendæ studio non tenentur; cum hæc non modo subditorum animos Regnanti jungat; verum etiam ejus potestatem reddat firmiorem, singularemque ipsi conciliet venerationem. Hoc sine aucupabantur Religionis famam Tyranni, simu-

labantque zelum illius, ut ejus specie sua adversus justitiam facta viderentur honestati conformia. Divisa enim Religio dividit subditorum animos, quæ res multo funestissimam Patriæ invehit ruinam. Malæ quidem sunt omnes inter cives exortæ factiones; sed ampliora ex illis emanant incommoda, quæ originem trahunt a divisione Religionis; contumaces nec ferrum terret, nec ignis, neque Parentum movet commiseratio, nec rei familiaris jactura, nec Regni desolatio; neque jurata Principi impedit fides; verum contentione, quam possunt, maxima entuntur sanam ex animis hominum doctrinam evellere, suumque errorem, quem avide ab impiis hauserant, iisdem instillare.

Quid opus est, tristia adnectere exempla, quorum omnia pene Regna se plena vel fuisse, vel etiamnum esse misere ingemiscunt, gravisque e sautiato pectore trahunt suspiria. Silentio quasdam prætereo Provincias, quæ tandem lug-

bre erant bellorum civilium theatrum, quamdiu abs Regibus in sinu Patriæ nullius fidei homines tolerabantur; quibus aut ad meliorem vitam ductis, aut e Regno exesse jussis, mox virtutes pristinis suis honoribus fuere redditæ, tum in singulorum sinum se se admodum infudit fortuna, ut cives fugiente felicitate, quam multo tempore revocare nequiverant, fruerentur. Ad Principem enim, cujus curæ Reipublicæ salus concredita est, pertinere arbitror, impedire pro viribus, ne partes, quæ totius conservandi causa existunt, illud corrumpant; eam obcausam si omnibus partibus servandis Imperans par sibi esse non videtur, necesse est, unam ut amputet, quam sinat, bonum commune perire, olitorum exemplo edoctus, qui ramos refecandos censent, qui arbori officiant; aut medicorum artis peritia ductus, qui membra putrida satius judicant abscindenda, quæ toti corpori inficiendo forent, quam præsentis cum periculo relinquenda esse.

Quibus allatis, mi Princeps! ab Athenien-
sibus una velim discas, hi statutis pœnis exter-
nas Deitates averfabantur, ne ex illis novæ in
Religione opiniones enascerentur; idcirco Socra-
tem morum integritate conspicuum morti addi-
xere, qui novos inducere Deos meditabatur.
Ab iisdem neci adjudicatus fuit Anaxagoras, &
cum ipso Demagoras, ac Evagoras, hi quod in
numerum Deorum retulerint Alexandrum Ma-
gnum; ille quod eundem perinde, atque reliqua
Numina, adorandum esse duxerit. Jam si rem
penitius inspiciamus, profecto illos non modo
Religionis tuendæ studium; sed & Reipublicæ
conservandæ felicitas hortabatur, gravius in ipsos
ut animadvertant; omnis enim res, quæ quid-
piam novi redolet, suspecta est, qua ut pluri-
mum dividuntur civium animi, iisque divisâ
Respublica conturbatur.

Principi quidem gloriæ Divinæ augendæ stu-
diose nunquam deerunt media suo in Regno pro-

movendæ Religionis, nec non fopiendi, exstinguen-
 dique erroris, Fidei Christianæ repugnantis, nisi
 quietem Provinciæ, æternamque salutem minoris
 æstimet, atque privata quædam commoda. Arii
 olim in oriente doctrina exiguæ instar favillæ vi-
 debatur; sed dissimulata ab Regibus, & Impera-
 toribus totum pene mundum incendio involvit,
 eorumque culpa accidit, ut latius serperet cum
 ingenti Regionum damno. E quibus facile quis-
 que arguet, errores Christianæ Religioni adver-
 santes non secus augeri, aut minui solere, atque
 quemadmodum sibi conniventes, faventesque na-
 sti fuerint Principes.

Tu cave eorum vestigia premas, nisi saluti
 tuæ, Regnique felicitati consulere nolis, cum
 ipforum doctrina, qui ad nullius Religionis dog-
 mata vitam suam accommodant, non tam arctis
 sit circumscripta limitibus, ut in plurium men-
 tem se se non insinuet; neque hæc sub initium
 omne suum exerit virus; sed sublesto nocendi

modo virtutis colendæ ardorem exstinguere fatiget, quo factò suavem animorum unionem non multo post dissolvat, venerationem in Principem imminuet, tum seditiones, ac cædes excitabit, extremamque Regno invehet perniciem. Vide itaque, quanti Tua referat, ut veram Religionem in tuis conserves ditionibus, ac una nullius fidei homines a munere, quo funguntur, amoveas, ac e tua exesse jubeas Provincia.

COROLLARIUM II.

Major in Deum injuria concipi vix potest, quam concedere facultatem de Religione quidvis sentiendi.

Neminem nostrum latet, quantam nominis gloriam non apud suos duntaxat, sed externos etiam pepererit sibi Lycurgus, cui Spartani leges suas in acceptis referebant; is rebus
 omni-

omnibus antevertit, ne quispiam innato quodam
 carpenti spiritu ductus adversus Deorum cultum,
 Religionisque caerimonias verba fereret, nisi cri-
 men capitis pœna luere velit, optime gnarus,
 nec pacem in Republica cives diu fovere posse,
 nec milites lætam de hostibus victoriam referre
 valere, si Numina singulari veneratione sibi pro-
 pitia non reddiderint, quorum ira victimis non-
 dum placata populo summam annonæ caritatem
 invexit, exuit opibus, charis sobolibus orbavit,
 quin duræ etiam addixit servituti, ut vel ipsis
 miseris sui cultum ab afflictâ gente elicerent.
 Tanti nempe refert de Diis eo, quo par est,
 modo sentire; ac loqui.

Agefilaus, quemadmodum ait Xenophon;
 venerabatur delubra in hostium quoque Regno
 sita, ab iisque vim militum, & injuriam abstine-
 bat, existimans, divina auxilia, non minus in
 hostili, quam amico solo sibi imploranda esse.
 Non secus egisse dicuntur Romani, qui in arce

Capitolina obsidebantur a Gallis, clausis undique viis, nec aditu, nec exitu patente; quem tamen Religio invenit, Quintique Fabii pectus impulit, sacra solemnia in colle Quirinali ut stato die obiret; is cultu, habituque sacro digressus, per medias hostium stationes, itum tutum, reditumque nactus est, sive attonitis illis inopinata audacia, sive Religione etiam motis, ne pietati intercederent, quam nec praesens periculum impedivit. Revocemus, si lubet, memoriam antiquorum Regnorum, inspiciamusque una tristes eorum vices, quas subiere, an non eas iratis adscribent Numinibus, ut justas ob injuriam sibi illatam de populo deposcant poenas.

Jam, mi Princeps! quid Te Christianae Fidei doctrina imbutum agere oportebit? Munerine indormies tuo? Et non tuendae gloriae divinae defensores ages? dum Religionem juxta, atque ardentem in Deum pietatem proscindi verbis, impugnari scriptis, ritus Ecclesiae risu excipi audies.

dies. Profecto multo fatius foret, Regiam dignitatem non adire; quam tali præesse Provinciæ, in qua aut facultas indulgetur, aut nunquam etiam indulta, sed temerario duntaxat ausu usurpata tolleratur, de Religione quidvis sentiendi. Non ibi animorum concordia, non Regni tranquillitas, non felix belli eventus sperandus est; ubi Deo longe maxima inferitur injuria, dum everfis pietatis trophæis, oppreffaque Religione, pestis hæc per domos Nobilium, civiumque graßatur.

Quamobrem simulatque Regno administrando admotus fueris, mox Princeps cura tua sit, severis eos subdicere pœnis, qui, exuto omni timore Dei, Religionem Christi seu scriptis, seu verbis impetere non verentur, ut innocuos hominum mores corrumpant, Regno felicitatem adimant, demum extremis involvant calamitatibus. Age igitur partes Regis immortalis gloria digni; cæteros enim triumphos tuos, quos rela-

turus es, tempus imminuet, obscurabit vetustas, deteret oblivio, hæc vero laus tamdiu vigebit, quamdiu Christi florebit Ecclesia, quam nulla fuga temporum, nulla vis erroris unquam, aut impietatis exstinguet.

COROLLARIUM III.

Potestas summi Pontificis Christi in terris Vicarij in honore Principi habenda est.

Quanta veneratione summum in Sacris Antistitem fuerint persecuti Principes tum integritate morum conspicui, tum doctrinarum varietate illustres, historiæ fide integra ad posterorum transmiserunt memoriam. Non opus idcirco est, pluribus contendere, quantum a verberent ii, qui ejusdem potestatem Romani duntaxat circumscribunt ditione, universumque Christianum orbem curæ illius concredidit ratio-

nibus ab adverfariorum fententia depromtis inficiari non erubefcunt; cum tamen Salvator Nofter Petrum, ejusque fucceffores toti præfecerit Ecclefiæ, ut gregem fibi commiffum non fecus, atque a Chrifto fuit demandatum, pafcerent, ac ab infeftis tuerentur hoftibus.

Cave judices, mi Princeps! in eorum fententiam abire me velle, qui temporalia quoque ejus fubjiciunt authoritati; quemadmodum enim Pontifici datæ funt claves Regni Cælorum, ita Imperantibus potestas in res terrenas eft conceffa; nihilominus Patrimonio D. Petri, quod ampliffimum in Italia ftatum conftituit, præft Papa æque, atque cæteri Principes fuis Provinciis dominantur. Neque exiftiment Regnantes, minime competere Sacerdotio dominium; nam ut Numæ Pompilii, qui Regis una, & Pontificis munere Romæ functus eft, mentionem fermoni non injiciam; nonne in lege naturæ Melchifedech Rex, & Pontifex nominatur in Genefi? Nonne

Divina ordinatione sedit Moyses, ut judicaret populum Dux, & Sacerdos in Israël? Nonne jam ab anno Christi 699 ex donatione Ariperti, & Pipini 755 Pontifices Romani rerum temporalium potiebantur?

Quanta autem authoritate Christi in terris Vicarius polleat, ex eo conjicere licet, cum is, dum quidpiam ex cathedra Apostolica in materia Fidei, & morum decernit, teste æterna Veritate, errare nequeat, qui etsi a nemine judicari, aut deponi possit; in hæresim tamen lapsus, ac a Fide devius, eo ipso Pontifex esse desinit. Denique eum duntaxat Conciliorum indicendorum, transferendorum, ac dissolvendorum plenum jus, & potestatem habere, non tantum a S. Scripturæ testimonio, dictis SS. Patrum, ac Romanorum Pontificum, sed propria etiam Conciliorum confessione palam constat; non secus ea omnia, quæ juris sunt positivi, judicare, interpretari, dispensare, abrogare, ejus muneris est;

quin ad illum quoque pertinet, creare Episcopos, conferre beneficia, tum rebus, quæ spirituales audiunt, suprema præesse potestate.

Illud non diffiteor, gloriari quædam Regna nonnullis immunitatibus; nam e multis pauca ut adferam, Rex Angliæ Christianissimus, Hispaniæ Catholicissimus, Hungariæ Apostolicus ob præclara in Rempublicam Sacram merita nominari meruerunt, quibus tantum abest, ut quidpiam dignitati Pontificiæ derogetur, ut illustrior evadat potius. Neque existiment Principes, sibi multum officere, si veterum Christianorum morem secuti, parem institutioni Christi honorem tribuerint summo in Sacris Antistiti; omnis enim authoritas, quæ conceditur Ecclesiæ, cedit una Regum, ac Principum gloriæ, cum illa horum Mater sit, eosque per Sacrum Baptisma genuerit. Profecto non defuere etiam, si quosdam minus probos excipias, qui omni tempore Romani Pontificis dignitatem defendere sunt conati.

Constantinum præ aliis Romanorum Imperatorem proponere juvat, ad cujus exemplum Regnantes suum agendi modum exigant necesse est, qui tanti semper fecit Sacerdotium, ut primas ei Sacris in rebus deferre, æquum judicaverit, quo factum est, ut Imperiū habenas rara felicitate moderaretur, lætamque de hostibus, quos multo ferocissimos nactus est, legeret victoriam, demum plenus dierum, cæloque maturus e vita migraret, cujus memoriam cum laude alet posteritas, neque ulla eam delebit oblivio. Quamobrem frustra suas erigunt cristas terrenæ potentie adversus hanc cœlestem, contra quam nec porta inferi (taceo mortalium vires) prævalere possunt. Jacebunt hæ, illa integra, si infesto animo in eam insurgere non reformidabunt. Hujus terminus est consummatio mundi; Regna vero alia omni ævo tolli, subverti, concuti videmus.

Neque silentio prætereundum est, præcepisse Christum, ut omnes omnino mortales suis spiri-
tuali-

qualibus subjiciantur Ministris, ac una propriis pareant Regibus, utrisque relicta authoritate ad functiones suas obeundas, neutri alterius partis interitu permisso, quæ res haud dubie concordiam multo maximam inducit in Christianum mundum. Noscere quoque oportet Regnantes, a Deo bina magna luminaria facta esse in firmamento cœli: luminare majus, ut præesset diei, & luminare minus, ut præesset nocti. Utrumque magnum, sed alterum majus; haud secus in Christiano orbe duas instituit dignitates, quæ sunt Pontificalis authoritas, & Regalis potestas; sed illa, quæ præest diebus, nempe spiritualis, major est, quæ vero terrenis, minor, ut quanta est solem inter, & lunam, tanta inter Pontificem, & Reges cognoscatur.

Non te morabor jam pluribus, illud ad extremum, mi Princeps! Te majorem in modum rogo, ac una moneo, ne mutuam Episcoporum cum Capite Ecclesiæ litterarum commercium jux-

ta veterem morem rescindere audeas, Nunciosque Romanæ sedis e Regno Tuo exesse jubeas, aut minore, quam par esset, benevolentia foveas; si enim Legati Tui, qui ad exteras Aulas amplo jure concedunt, vigilibus oculis in omnem rei eventum intenduntur, ne felicitas Regni curæ Tuæ post paululum concredendi minuatur, illorum quoque interesse existimes oportet, ut, si Pontificiæ majestatis jura lædi viderentur, actum se defensores opponant. Et si leges Provinciæ Tuæ proprias ab aliis convelli non sinis, Summus in Sacris Antistes qua animi ægritudine ab Imperantibus contemni suas, reformarique patietur?

Pater ille Christi fidelium est, Te perinde, atque Filium eidem morem gerere, exhibere honorem oportebit. Postremo cave, permiseris, aut libris Romanam sedem proscindi, aut publicis thesibus ejus imminui auctoritatem, ne viri juventutis animo multo funestissimum inferatur, quod

quod non Regno duntaxat ; sed Tibi quoque ingenti damno fore scito , cui evellendo vix demum longior etiam ætas par videbitur.

COROLLARIUM IV.

Caveat Princeps , nisi iram Dei in se inducere velit , ne in res Sacras se immisceat.

Non mediocri conficior dolore , dum in memoriam , mi Princeps ! revoco , in quibusdam admodum jam refrixisse timorem Dei , venerationemque Ecclesiæ , ut nec religioni sibi ducant , si contra , atque æquitas poscit , jure Pontificibus proprio utantur , si Fidei negotia perinde tractent , atque cætera sæculari auctoritati subiecta. Profecto multum a veritate abluunt , quicumque falso contendere non reformidant ; Imperantium potentiam non usque constrictam esse , ut suo in Regno res Sacras modera-

ni, Templorum suppellectilia cultui Divino devota suum in usum convertere nequeant, quo pacto sublevis animi homines non aliam in partem Regnantes pertrahere conantur, quam Schismatis labem eis ut inurerent, fictæ veritatis specie vestitam, ne rei atrocitate deterriti ab illorum sententia porro stare nolint.

Evigilent tantisper, ne præcipientes in graviora labantur scelera, ac una meminerint Desiderii Regis, qui contempto Dei, hominumque timore, in Adrianum Christi Vicarium insurgere, urbes quam plurimas Ecclesiasticæ ditioni inferas invadere, ac occupare ausus est, ex hac impietate quem eventum sortitus? Non multo post Caroli Magni copiis Regno pulsus, funestissimam suæ temeritatis memoriam Longobardis reliquit.

Quibus allatis eorum hac super re exquirere iudicium, ut erroris se convictos vel inviti fateantur, qui Ecclesiæ potestatem, si Sacramentorum administrationem demas, pene ex æquo cum

Principibus partiuntur; utrum ii ad sanæ rationis leges suas exigant cogitationes; nam quemadmodum in cælo sol, & luna cæteris sideribus præstant; non secus in terra dignitas Summæ Pontificis juxta, ac Regum alias majestate antecellit. Quæ suis singularibus gaudent functionibus, ne una alteram impediatur; sed sibi mutuo quodam fœdere opitulentur necesse est. Jam nonne contra naturam foret, si sol nocti, & luna præflet diei; quid aliud censendum, si Principes Sacrorum Antistitum potestatem non modo sibi arrogent; verum eadem fruantur etiam, & Ecclesiæ Præsides plus nimio sæcularibus se se implicent negotiis. Neque absolutum est Pontificis in temporalia dominium, sed restrictum ad suas duntaxat regiones, neque Regnantibus liberum in Sacra jus est; verum inspectio quædam tenendi magis, quam cognoscendi causa.

Rubore suffundantur itaque, qui Ecclesiæ libertatem convellere, Tempia in profanos usus convertere, Religionis ritus abrogare non verentur; ii, velim, exemplum Philippi Macedonis penitus intueantur, qui tenuis adhuc viribus, neque inclytus nomine, gradum ad utraque fecit e Sacrorum tutela. Phocenses in Græciâ dum Delphico præessent Templo, bello impliciti, thesauros ejus vetustate, & fama celebres tangere, & mutui titulo spoliare cæperunt, quæ res odio, & execrationi omnibus cum esset, Philippus vindictæ studio accensus arma sumit; non secus sumunt Phocenses Onomarcho quodam Duce; tum is suos omnes lauro Apollini Sacra coronari jubet; hostes conspectis violati Numinis insignibus, nihil aliud, quam occidentis suæ fortunæ interitum præstolabantur; itaque in fugam effusi, abjectis armis, temeratæ Religionis pœnas multo sanguine luerunt.

Quamobrem, mi Princeps! si Tuæ, Regni-
 que felicitati consulere cupis, author Tibi sum,
 ne pravis quorundam principiis abreptus Eccle-
 siæ jura Tuæ quoque competere dignitati arbitre-
 ris, ac turpem habendi libidinem rebus Divino
 honori dicatis expleas; neminem enim reperies,
 etsi omnem præteritorum temporum memoriam
 repetas, qui, violatis Sacris, iram Supremi Nu-
 minis effugisset; multo igitur satius fore censeo,
 si Te verum Religionis Catholicæ Filium proba-
 veris, ut cujus vita oblivione emori non potest,
 mors quoque suo tempore videatur immortalis.

JUSTITIA, ET JUDICIUM,

Duo cardines sunt, in quibus Regni felicitas consistit.

T H E O R E M A.

Præ aliis nomen Principis immortalitati transcribit justitia, si perinde, atque ejus natura exigit, exercentur.

Cum nihil aliud videatur esse Regis auctoritas, quam loquens justitia, & lex animata, imperando is plus nequaquam potest, atque jus, & ratio; qui ut proficit, non ut præsit, in summo regimine est constitutus; quamobrem perite nonnemo ait: Principis justitiam, Regni animam esse, qua recedente, corpus actutum dissolvitur; non secus exulante justitia, in præceptum ruet Regnum, florentisque suæ fortunæ nomen

mæstis in ruderibus conspiciet. Quis enim ignorat, scelera, & flagitia per eam removeri; foveri vero virtutes? Quem nostrum latet, agris, viis, ac maribus per eam reddi securitatem?

Justitia suum cuique tribuit, tum ex æquo distribuit pœnas, & præmia, ideo duplex quoque a jurisperitis censetur, quarum altera commutativa, distributiva alia audit, utraque firma efficit Imperia, & immortales Principes; discurrit enim ejus fama, ac in ore omnium versatur, si ab justitia eo, quo oportet, modo administrata laudem mutuetur. Cætera persæpe oblivio excipit, & facile e memoria hominum effluunt; hæc comprehendit omnia, quæ in Regnante laude digna dici possunt. Comprehendit prudentiam, in dilectu justæ præ injusto. Temperantiam ex observatione legum, quæ potior pars sunt justitiæ. Fortitudinem; nam justus non movetur respectu personarum; ut enim sol non alius est pauperi, alius diviti, sed omnibus communis.

Misericordiam, dum succurrit afflictis. Liberalitatem, cum merita ad æquitatis leges exigit omnium. Tranquillitatem; quia vir justus semper idem, sibi que similis, non elevatur prosperis, non dejicitur adversis; eam ob causam magnos appello, quos justos. Si te, mi Princeps! ut olim Archidamum compellabunt magnum, responde: major sum, si justior.

Qua virtute singularem sibi peperit laudem Vitellius Imperator; cum enim quispiam familiari consuetudine ei junctus injustæ petitioni insisteret, neque spes affulgeret ulla obtinentæ gratiæ, plenus ira abiens dixisse fertur: quid mihi tua prodest amicitia, si non facis, quod rogo; cui mox Imperator: & mihi quid tuus, si contra, atque æquitas patitur, tui causa facturus sum; exiit profecto amicum, qui Judicis induit personam. Principem namque nec pro justis orandum, nec pro injustis exorandum censeo. Quæ causa est, cur Ægyptii cupressum statuerint

pro symbolo justitiæ, cum hæc a radice ad fastigium recto assurgat stipite æquales ramos admodum æquo explicans ordine, ut alius alium non excedat; ita Imperans boni, & æqui custos jus suum cuique tribuit, nullumque reficit; sed ab omni prorsus affectu est alienus.

Jovis statua apud Trojanos auriculam unicam habuit, verum tres oculos; a vero fortasse non aberravero, si hæc Regnantes designari dixerò, qui ut justî nomen mereantur, plura eos dispicere, & penetrare oportet, quam audire, & credere. Neque censoria virga perstringendam esse eam puto justitiam, quæ quandoque calliditati miscetur, dicente Domino: estote simplices, sicut columbæ, & prudentes, sicut serpentes, quò in loco prudentiam politicam intelligi debere, tradunt Patres. Mixta cum calliditate justitia, tria requirit: ut sit in defensionem propriam, non offensionem proximi, ut evidens cogat necessitas, & ratio Reipublicæ; denique ut ad

menfuram fit, neque excedat naturalem æquitate.

Quare, mi Princeps! scito, justitiam optimam Regni tui custodem fore, quam omni studio cole; in ferenda tamen sententia cave, precipiti feraris naturæ ductu; sed gravi maturitate procede, ne facti aliquando pœniteat; ad pœnitendum autem properat, qui cito judicat, quin & clementiam comitem individuum abhibe, ne nimium justus videare; arduum enim, & admodum grave, omnia ad calculum revocare. Verum enim est illud Ennii; summum jus, summa injuria, cum primis si legum auctoritas non in omnes æquo jure animadvertat, tales non leges; sed aranearum telas appellabat Anacharsis, in quibus muscæ grandiores evolvendo vitium in iis faciunt; at minus validæ irretiuntur incluse, cui rei quam optime consonat illud Poëtæ; dat veniam corvis, vexat censura columbas.

EX QUO SEQUENS FLUIT
COROLLARIUM I.

Ubi ratio subjicitur potentiae, justitia convertitur in injuriam.

Nihil perinde Principis dignitati alienum esse cenfeo, atque voluntate pro lege uti, & velut rationis minus compotem non pro ratione; sed libitu cuncta agere; non hæc dicenda lex, verum iniquitas; cessante enim boni communis ratione, cessat & ipsa lex, & vim obligandi non habet; quare qui cæteris dignitate præstant, monente Catone, parce admodum sua utantur potestate, quam clementia fore diuturnum, sævitia brevem, existimabat; nulla enim est tanta vis Imperii, quæ premente metu, stabilitatem polliceretur; nam quem metuunt populi, odierunt, & quem quisque odit, periisse expetit.

Cum ad Alexandrum Magnum nonnulli illustres ducerentur captivi, e natu majore sciscitatur Rex: quidnam agendo diu tutus in Regno esset? Si nemini, respondit, te formidandum reddideris. Et sane ubi ratio subjicitur potentia, atque id censetur honestius, quod validius, ibi ex justitia injuriam multo maximam promanare debere necesse est. Non ille plus possidet rationis, qui majore pollet fortitudine; sed is ab fortitudine ampliorem mutuatur laudem, quem præ aliis ratio commendat. Potest hæc premi; et non opprimi, pressa quandoque gloriosius refugit non secus, ac palma.

Caveat itaque Imperans, ne justitiam magnitudine suarum virium metiatur; verum hæc ad illius normam exigat. Neque eam ob causam coræ suæ concreditos duræ subjiciat servituti; qui suæ potentis resistendo sunt impares; leonina hæc foret justitia, non humana. Vis rumpit justitiam, sensus illam corrumpit. Omnia, que vi-

dun-

duntaxat aguntur, stateram ejus inclinant in transversum; quæ autem arrident genio, prorsus excæcant judicium, ut cum Paride non videat emolumenta Principatus in Junone, nec artem regnandi in Pallade, sed solam turpitudinem anhelat in Venere.

Plerique adorant justitiam non ob bilancem justæ, & æqui verum propter enses, quem; illa gestat in vindictam. At recta justitia enses gerit propter bilancem, quo ejus æquitatem tueatur, illumque stringit in eos, qui in statera appensi minus habentes repetuntur. Leo Armenus, cum e palatio digressus obvium haberet quempiam tenuioris sortis hominem, qui uxorem suam diceret a Senatore raptam, neque jus sibi adhuc dictum, etsi ad Præfectum id facinus detulisset; Leo mox in mandatis dat, ut sibi reversuro actor, reus, & Præfectus sisterentur, quibus auditis, cum noxæ reum, negligentia Præfectum comperisset, hunc dignitate, illum vi-

ta exiit. O factum Dei, hominumque favore dignum!

Non diu apud Romanos viguit lex Cinica, quæ causæ dicendæ negabat mercedem; sic enim peribat sine patrono innocentia; sic prostratæ jacebant causæ optimæ; quia a nullo defensæ. Non minoris injustitiæ reum se facit Princeps, qui non modo privatæ, sed nec publicæ justitiæ conservandæ amore tenetur; verum cuncta imperio duntaxat regit, neque legibus suam accommodat voluntatem. Injustus est, qui non expensis rerum causis, proximas quasque occasiones arripit usurpandi aliena; gemit hæc inter justitia, sequæ sua tuetur innocentia, neque succumberet, nisi turpiter cedere cogeretur armatæ potentiæ.

Ut itaque Tibi, mi Princeps! a regnando longe amplissima gloria veniat, prudentis medici personam indue, qui oleum potius adhibet, quam ferrum, neque, nisi tentatis omnibus, ad sectionem descendit; perinde dedecori cedunt Regnan-

ti multa supplicia, atque medico plurima funera. Non est igitur accepta potestate continuo utendum; sed multo satius fore existimo, si ea persæpe benignitate quadam tegatur, multa quidem tolerando, in quæ aetatum animadvertere non expedit; nam herbæ basilicæ tuos persimiles esse crede, quæ cum leniter tractatur, gratum naribus spargit odorem, si prematur, aut vi avellatur majore, pessime olet; haud secus subditi, si placide habeantur, Tibi omnem exhibebunt fidelitatem, quo pacto eorum lucraberis amorem; quod si potentia opprimas, ferent tantisper duram servitutem, quamvis ægre admodum, tum, exulserato animo, jugum excutere meditabuntur, ac projecta quadam audacia in ruinam Provinciæ, Principisque contemptum se se effudent.

COROLLARIUM II.

Princeps observator sit legum, ut exemplo sit subditis.

Quem ad summum dignitatis apicem evehit virtus, comite fortuna, is arctiori quodam vinculo adstringitur, exemplo ut sit omnibus; quo pacto nomen congruet actioni, & actio respondebit nomini; quod mente revolvens Cyrus Regum præstantissimus dicere solitus est: neminem oportere Principatum suscipere, nisi melior iis probetur, quibus præficiendus foret; Imperantis enim munus est, non modo leges edere; verum etiam editas observare; quamobrem ægre admodum adduci possum, ut credam, nunquam ab ulla alia re major accedat legi authoritas, quam cum Legislator, quod præcipit, ipse præ cæteris facit. Laudat Roma Romulum, quod primus leges condiderit; sed amplius jaëtat Gra-

cia Lyncurgum, qui, quæ legibus fanxit, factò ipso probavit. Quis enim verbis alios ad agendum impellet, si ipse secus, atque oportet, ad honestatis leges suas exigat actiones? Profecto exemplum Principis fortissimum est imperium legis. Regibus non sunt quidem præscriptæ leges; at præscripta est ratio, & honestas, e quibus lex omnis constat.

Qua de causa Plato scribens Dioni Syracusarum Regi, recens creato, hoc præcipuum ab eo voluit observandum, nempe; se tanquam speculum omnibus expositum, ut recordaretur, quin cum Princeps solis instar cunctorum oculos in se convertat, perquam necessarium est, laude dignum vivendi modum ut amplectatur, ad quem civium mores componuntur. Neque sufficit, chartæ inferere leges, si harum vis flacidior sit foliis cucurbitæ. Legum ut authorem, perinde defensorem Principem esse convenit; nam pars justitiæ commutativæ leges sunt; Im-

perans lex animata, quam sequi oportet; caput, cui obtemperandum; regula, & cynosura agendorum, quæ universos dirigit. Omnis autem lex, duplex est; naturalis, & scripta: illa dictamen dicitur rationis; hæc vero Divina, vel Civilis audit, utraque in tabulas reducta. Divinam rursus in moralem, & ceremonialem dissecant, quarum altera mores concernit hominum, ut sunt præcepta Decalogi; altera circa ritus Sacros versatur. Civilis vel est mutabilis, vel stabilis. Stabilis cum ipso Regno crevit, atque est fundamentum status immutabile, adeo ut hac perente, forma adminus regiminis pereat necesse est, talis nominatur lex Salica in Francia, & Castellana in Hispania. Mutabilis, est omne rescriptum, aut statutum Principis, vel Reipublicæ, quod fertur in salutem particularem, aut universalem communitatis, & pro temporum adjunctis, sanciri, mutari, tolli, augeri potest.

Neque tam cumulanda, quam exercenda sunt leges, quæ ubi multæ sunt, corruptam ibi esse debere Rempublicam, nullus dubito, quarum transgressio mala est; sed reformatio sæpe necessaria; longiori enim tempore mutantur morbi Provinciæ, quibus idonea, eaque nova non raro expediunt remedia; antequam autem Princeps animum adjiciat ad quasdam condendas, aut immutandas, nosse oportet Regni, ejusque incolarum naturam, & genium; necessitatem, & comoda, ut condignas populo leges statuatur. Aliæ in Regnis opulentis, aliæ in egenis requiruntur; alias exigunt leges gentes feroces, alias volunt cives mitiores; aliæ in aquisitis, aliæ in successivis; aliæ in electivis, aliæ in novis Regionibus condendæ videntur. Gentes barbaræ sub initium benevolentia alliciendæ, ac demulcendæ sunt, ne earum præservidus animus, jugi durioris impatiens secessionem a suo Principe meditetur. Regna recens accepta nihil perinde ægre ferunt,

atque quæ novitatem redolent. In electivis ut plurimum populus legem accipit, quamvis de quoque nonnunquam. In avitis, & successivis pleno jure conduntur, & pari obsequio suscipiuntur leges. Præ oculis tamen habenda est Regnanti forma, & species regiminis; alia enim convenit statui poliarcho, alia monarchico.

Qua re tantum abest, ut Princeps felicitatem Regno conciliet, ut plurima quoque advehat incommoda, nisi legibus conformem duxerit vitam, qua alios ad eas servandas provocet, ac impellat; eam ob causam Romani præ aliis laudantur; quia leges observabant, quas alii præscribebant. Cæve itaque, mi Princeps! Tibi persuadeas, Regibus omnia licere; principium hoc Provinciis multo maximam creat perniciem; verum aures Antigono Regi potius accommoda, hic cuïdam dicenti: omnia Imperantibus honesta, ac justa esse; sunt quidem, respondit: barbarorum Regibus; ut nobis ea duntaxat honesta sunt,

in quibus vera relucet honestas, & illa tantum justa, quæ æquitatis legi sunt conformia; haud secus sentiebat Theobaldus Rex dicens: cum omnia possimus, sola nobis licere credimus, laudanda. Pluribus, non opus est, ut immorer, dum ea, quæ paucis complexus sum, clarum præbeant testimonium, quid Te agere par sit, ut Tibi nunquam apud posteros intermorituram parias gloriam.

COROLLARIUM III.

Tribunalibus eos Princeps præficiat Judices, qui scientia juxta, atque æquitate sunt conspicui.

Optimum regiminis institutum esse arbitror, si Princeps eos in partem laborum adsciscat Viros, quorum doctrinæ par justitiæ administrandæ integritas respondet; tales enim Regnantes existimantur, quales sunt, qui illorum

vices gerunt. Profecto haud scio, an ulla re amplius, firmissive Judices se in amorem hominum insinuare queant, atque si pro eo, ac debent, pronuncient sententiam; nam non hominis, ut aiebat Rex Josaphat, sed Dei exercent iudicium; exuant itaque omnem personarum respectum, qui æquum arbitrum agere volunt, neque rei familiaris augendæ studio muneribus animum a recto tramite abduci sinant, ne de iis dixisse videatur Sapiens: mendaces filii hominum in stateris. Mentiuntur sane justitiam, qui eam prestare nolunt, vel erubescunt; mentiuntur; quia eam, cui debetur, non tribuunt. Ignis devorabit, tabernacula eorum, qui dona accipiunt, inquit Job, quorum oculi caligant ad splendorem auri, ne videant solem justitiæ. Summæ quoque iniquitatis arguitur iudicium, in quo ambæ aures reservantur uni, & clauduntur alteri; quemadmodum enim Phœbus princeps siderum non alius inopi, alius locupleti; verum communis omnibus;

bus; haud secus Jūdices non personam, sed rem, non conditionem, sed causam spectare oportet.

Cur enim Regna everti, dissipari Respublicas, Civitates solo æquari lugemus? quia justitia non perinde, atque opus foret, administratur; nam Jūdices, si auri cupiantur desiderio, non quod jus exigit, id decernunt; sed quo cupiditas impellit, eo deflectunt; liceat similitudinem rei appositam depromere, ut cogitationes, quas mente concludo, clarius aperiā: onera humeris imposita, quibus ferendis vires impares evadunt, sicut hominem robore etiam valentem mox deprimunt, ac terræ allidunt; ita animi, quamvis erecti, munerum pondere concidunt, reliquisque invicti vitiis, pecuniarum amore victi jacent, ut veritati prorsus consonet illud Poëtæ: auro pulsa fides, auro venalia jura, aurum cum sequitur, sit sine lege pudor. Caveant una, qui litibus dirimendis præficiuntur, ne eos aut nimia festinatio, aut tædii plena cunctatio vitii arguat;

illa muneris incurios, hæc vero corruptos designat Judices. Quamobrem oportet esse juris probe peritos, cautos, sagaces, impavidos, ac veritatis amantes; cum primis autem justitia sit cingulum lumborum, ut Isaias olim optavit.

Quem in finem author, suaſorque ſum Principibus, ut, dum otium a laboribus vacuum nati fuerint, varia adeant Dicasteria, qua ſolertia æquitatis arbitri in iis ſuo deſungantur munere, eorumque ſententias ad criſim exigant. Plurimum quoque eorum intereſt, qui plena rerum potiuntur poteſtate, pauperum excipere queſelas, iisque juſ dicere; cum autem permulta, eaque gravia ab hac re eoſdem abducant negotia, evitantur in partem curarum illos adlegere, quorum integræ fidei tuto concredi poteſt juſtitia adminiſtratio. Neque unus duntaxat Judicis dignitatem obeat, qui quavis de cauſa actum ferat ſententiam; ſed plures ſint appellationum gradus. Huic vero muneri majore cum utilitate

divites præ inopibus admoventur; puriores enim illi futuri sunt a corruptelis, atque tenuioris facultatis Viri; quamquam compertum fit quandoque, quo ditiores, eo avidiores esse, & tam in inope frænari posse cupiditatem habendi, quam in opulento temperari naturam ad vitia proclivem, virtutis amore.

Apud Athenienses cautum erat, ne sublesta fides sententias corrumpere, ut Judices in tenebris causas agerent, ne personam respicerent, aut muneribus illecti perperam judicarent. Apud Thebanos in loco, ubi convenire Magistratus consuevit, picti conspiciebantur Senatores, quorum in medio Princeps, cæteris dignitate superior, eminebat; Senatores sine manibus, ne munera acciperent, Princeps sine oculis, ne personam respiceret. Quisquis itaque rara felicitate Regnum gubernare exoptat, necesse est, ut tribunalibus non modo legum peritos, sed & probatæ integritatis præficiat, quorum incorrupta

justitia honoribus, ac præmiis est fovenda, qua
 duce, & comite, ars omnis imperandi nutritur,
 ac roboratur. Quamobrem, mi Princeps! omnes
 vires intende, ut miserorum querelis assistas,
 causis judicandis intersis; quoniam vero ob gra-
 vem negotiorum molem coram adesse omni tem-
 pore nequeas, vide, ne Judicium incuria, vel
 potius culpa, innocentes causa sua, quamvis
 æqua, cadant; tanto autem malo Te mederi è
 posse, cum Regis personam sustineas, & velle,
 cum Patrem una agas, existimo.

COROLLARIUM IV.

Princeps in distribuendis præmiis, ac irrogandis pœnis, perquam cautus sit, ne Justitiæ limites excedere videatur.

Immortali gloriæ Principi cedit, si præmia non secus, atque singulorum merita exigunt, impertiatur, quæ ut virtuti semper paria sint, necesse haud est; verum multo satius fore existimo, si Regnantis favorem in se augeri in dies experiantur, quo pacto amplius eorum amorem, ac fidem lucrabitur, quam si unica duntaxat vice tantum gratiæ in ipsos profundat, ut dantis liberalitas probe exhausta videatur. Non donat, qui non bene donat. Multo plus dedisse censendus est Caligula, atque Julius Cæsar; nihilominus ab munificentia hic præ illo laudem est indeptus. Modica nonnunquam præmia magis accendunt subditorum animos ad conservandam Principis,

cipis, Regnique felicitatem, quam magna; nam hæc non tam videntur præmia, quam exolutio debiti. Nolle quoque oportet, quid inter munera, & præmia discriminis interfit, licet utraque ex uno liberalitatis Regiæ fonte promanent. Munera hanc sunt, quibus non modo capiuntur, verum rapiuntur etiam alieni animi. Præmia virtuti duntaxat debentur. Donum minuit, & corrumpit virtutem; præmium illam conservat, & auget; munera sæpe sine merito dantur, hæc in homine ardorem agendi extinguunt; præmia heroicis actus coronant, & excitant probos Patriæ cives ad egregia quævis pro Republica exanthlanda facinora.

Munera, quæ nondum meruit, si quis accipiat, vanum exponit libertatem suam donanti; eam ob causam monuit in Exodo Dominus: non accipies munera, quæ prudentes etiam excæcant, & subvertunt verba justorum; cum primis vero merces abs eo collata, qui jubere potest, viz

habet necessitatis. Compedes itaque invenit, qui beneficium ab Imperante accipit. At non omne munus, nec omne præmium consistit in auro, argentoque; sed in titulis etiam, ac Magistratibus publicis, qui de Republica bene meritis reapse debentur. Græci, ac Romani, ut mercedem distinguerent a præmio, non distribuebant coronas aureas, & argenteas, verum e gramine, aut quercu contextas, quibus magis virtutis æstimatio, quam doni fulgor arrisit, ampliusque veram gloriam, quam ejus umbram fectabantur. Graviori morbo nunquam laboravit Athenarum Respublica, atque dum Aristidem, & Periclem, Viros multis meritis conspicuos exilio multavit, Niciam supplicio affecit, ac tristem de Socratis capite sententiam tulit, susceptis in imperio Cleone, & Thrasillo, quibus non perinde, atque illis Patria salutem suam in acceptis referebat.

Profecto lachrimis digna nostra ætate tempora, dum favori omnia, nihilque virtuti, sat parum admodum tribui videmus. Primos Nobilitatis characteres: Comitum, Baronum, Nobilitium, cum dolore audimus iis fere conferri, quos opes amplius commendant, quam merita decorent, ut jam gloriæ merces non virtus sit, sed nummus, o turpitude! Verus honor neminem fugit, quem virtus comitatur; vera virtus neminem respuit, qui se illa dignum reddit; quem admodum autem virtus meretur præmium, ita a præmio nemo excludendus est, cui virtus patrocinatur. Quanti suspirant, qui merentur, nec tamen respiciuntur, quorum modestia jam dudum præstolatur præmium, sed ipsa diuturnitate fortasse oblitteratum. Olim Romanus Senatus ante portas Urbis excipiebat e bello reduces, ne videlicet mora ulla præteriret inter meritum, & præmium. Meruerat Regiam Virginem Micholem David interfecto Goliatho, victoriæ tamen præ-

mium

mium adeptus non est, nisi centum Philistæis occisis. Quibusdam multo majus solatium parit, si abs Principe gratiam ineant, vel ab eo laudari meruerint, quam si omnes Mydæ divitias, & Pactoli thesauros essent consecuti.

Qui itaque in danda mercede longiorem necit moram, ex ejus animo exhibitæ operæ memoria effluxisse creditur. Mardochæus revelavit Eunuchorum in caput Asueri conjurationem, hi pœnam actutum luerunt; ille sero admodum accepit integræ in Regem fidei præmium. Adeo Principum nonnulli viadictæ nunquam, beneficiorum mox obliviscuntur.

Jam a præmiis ad pœnas, partem nimirum Justitiæ vindicativæ, si lubet, transeamus. Has magis, atque illa in Republica fore necessaria judico; virtus enim sibi ipsa merces est; vitia autem coercere oportet. Cum nascente mundo cœpit lex pœnarum; nam in Paradiso primis Parentibus vetitum erat, ne fructus de ligno vi-

tæ ederent; secus morti obnoxios se cum longa posteritate experientur. Apud omnes gentes exstabant pœnæ, non perinde leges, quæ labentibus multis sæculis, primum Græcis, demum Romanis fuere cognitæ. Sublatis pœnis, quid aliud esset mundus, quam vitiorum omnium chaos; eam ob causam primi Rerumpublicarum fundatores nunquam tot statuerunt meritis præmia, quot malefactis supplicia, quæ vitiis pabulum, quo nutriuntur, demunt. Interrogatus Anaximander a Cleone: cur tot, tantaque vitia irrepleant mundo? Reposuit: quia nullæ, aut raræ pœnæ. Primum errorem committit reus, alterum, qui dissimulat; tertium, qui non punit, cum possit, ac debeat.

Exosum se reddit subditis Princeps, qui non expendit merita suorum; sed nec facile obtemperant, si videant scelera ab eo non multari. Quod si integra communitas, vel ejus magna pars in jus trahatur, sit paucorum pœna exemplum

plum in omnes; nam si errores singulorum puniendos cuperent Imperantes, actum foret de mundo. Medicæ artis peritorum numero is minime videtur inferendus, qui quantis medetur, tantos una interimit; perinde Regnantes plurimum a fine aberrant suo, qui secus emendare subditos nequeunt, quam suppliciis; neque tamen eam ob causam pœnis supersedendum esse censeo; sed providendum, ne occasio sceleribus præbeatur. Delicta commissa plectere, persæpe necessitatis est; ne vero eveniant, impedire, majoris est gloriæ. Præ aliis autem cavendum iudico; ne in reum, antequam audiatur, animadvertant. Omnium apud Romanos odium incurrit Galba, qui Cingonium Varronem, & Petronium Turpilianum, re non discussa, morti addixit. Profecto nocentes licet sint; innocentes tamen habentur, si reis negetur defensio, & patrocini-um.

Non diffiteor quidem, omnia delicta paria non esse; ideo alius in criminibus publicis, alius in privatis, alius in suspectis, ac dubiis, alius denique in apertis, aut Regni salutem concernentibus æquitatis rigor tenendus est; nihilominus excogitata, & immania suppliciorum genera, magis Judicis vindictam, quam justitiam sapiunt, ampliusque hæc spectatores offendunt, atque delinquentium scelera. Profecto odium is suorum incurrit subditorum, qui eos non punit ut filios, sed persequitur ut hostes. Castigare sine amore, non est actus Principis justis; ast vindictam sumere volentis. Ipsa animalia non maculantur ex odio, sed ex necessitate conservandæ vitæ humanæ. Peccatis irasci oportet, non peccantibus. Noli itaque, mi Princeps! suspitione, rumore, aut immaturo naturæ impetu de quovis pœnam deponere; verum juxta monitum Divini Spiritus justum judicium velim judices. Non torque leges, ut sensum ex iis elicias, quo innocentes,

aut

aut minus, atque putantur, rei, victimæ furoris
Tui cadant, sit maxima Tua fama, Clementiæ
nomen, crede, multa funera mortalitatis esse in-
dicia, & continua supplicia, Tyrannidis sacri-
ficia; quamobrem multo satius fore existimo, si
parvis delictis veniam condones, magnis severi-
tatem adhibeas. Nec semper pœna; sed pœni-
tentis animi signo contentus esto.

Principi continuo adsit frequens armata manus ; secus Regnum felicitate periclitabitur.

T H E O R E M A.

Raro admodum ad arma deveniendum est , & si necessitas exigat etiam , caveat , quisquis suprema potestate cæteris præest , ne temeritatis , aut injulitiæ arguatur.

Si tantisper non modernorum duntaxat , sed & veterum consulamus exempla , haud dubie comperiemus , a Principum voluntate stare oportere suscipiendi belli auctoritatem , verum cum nec fortitudo sine viribus , nec vires sine armis præsidio sint ; eam ob causam omnis Regnorum , Imperiorumque salus in bellica arte nititur. Armorum autem fortitudo , ut virtutis mereatur nomen , necesse est , ut ab omni temeritate , &

injustitia longe absit. Temeritatis Imperans minime arguetur, si prælium fere compulsus suscipiat, neque certam pacem cum sperata victoria commutet; nullum enim usque felix est bellum, quo non potior sit quæcunque pax; nec abs re: nam in conflictu bis peccare, aut proprio sapere damno nequaquam est licitum, & quantumvis Regnans suis confidat viribus; non sunt tamen certa pro incertis in discrimen adducenda. Non abnuo quidem iis fidem, qui afferunt armis, & bello crescere Regna; sed una fateantur velim, iisdem persæpe illa perire solere. Medium tenebit Princeps, quem prudentia commendat, ne aut adversariorum provocet arma, aut eorum vi, ac furore concidat animo.

Prima sus incunabula Republicæ, & Imperia armorum felicitati debent, quibus olim potentior debiliorem suæ afferuit potentix; unde Regnorum pene omnium origo. Rudi illa ætate hic gentium mos fuit; nunc non dignitas potior,

non vires majores; sed justitia est belli cujusvis causa. Potentia quidem utendum, cum opus est, jure tamen prius experiendum, quam vi; nihil enim æquitati tam contrarium, nihil juri tam inimicum, atque vis; nihil quoque adeo exitiosum Regnis, & Civitatibus, nihil minus politicum, ac humanum, quam constituta, & composita Republica vi cuncta agere. Felix Princeps! quem ita armat Divina Sapiencia, ut pro thorace justitiam induat, & pro galea judicium rectum accipiat, & sumat scutum inexpugnabile æquitatem; eam ob causam Christiana disciplina non vetat bella; sed nusquam majorem justitiam exigit, atque in his; nam ubi cædes hominum, Regionum pernicies, ac ruina timenda non de vano censetur, ibi maximam oportet habere justitiam.

Fortitudo; quæ per bella tuetur a barbaris Patriam, vel defendit debiles adversus potentiores, æqua justitia est dicenda; quod si vero do-

minandi duntaxat libido arma induat; tantum abest, ut cœleste auxilium ei præsto sit, ut dignas potius Divinæ Nemesei det pœnas, teste Jeremia: cum exaltaveris quasi aquila nidum tuum, inde detraham te, dicit Dominus. Cave itaque mi Princeps! fiduciam in munitionibus, & thesauris tuis reponas, dum contra, atque justitiæ leges patiuntur, armis Regni tui limites augere fatagis. Profecto haud alia causa est, cur nonnulli robur suorum militum ab adversariis superatum lugeant, quam quia viribus suis omnia se perficere posse arbitrabantur, ut reapse in illis illud Scripturæ ex vero impleatur: qui præsumit de viribus suis, antequam pugnet, prosternetur; quamobrem pro justitia agonizare, ait Divinus Ecclesiastes, & usque ad mortem certa pro ea, tum Deus expugnabit pro te inimicos tuos, neque vereor, ne fecus, atque facere oportet, agas; nisi felicitati Regni pessime consulere velis.

EX QUO ERUERÈ LICEBIT
COROLLARIUM I.

Bella non magis corporis robore, quam consilio, & prudentia geruntur.

Longo rerum usu compertum est, ingenium in bello multum posse; eam ob causam mihi perinde esse videtur, callidis consiliis hostes opprimere, atque palam, & producta acie. Nèque semper aperto Marte, ubi commune omnium periculum, sed occultis consiliis non raro profcinditur hostis, & victoria obtinetur tanto gloriosior, quanto suorum sanguine minus cruenta. Syracusas obsidebat Romanus exercitus; cives resistendo adversariorum vi cum essent impares, unus Archimedes eos quiescere iussit, seque tuendæ urbi impavido pectore obtulit. Quædem ratione fidem suis obstrictam exolvit? Obsidionem triennio sustinuit, & raro ingenii par-

partu perſepe non oneratas duntaxat ſubmerſit naves; ſed etiam vitri ſolaris æſtu integras delevit phalanges Romanorum; par quoque huic cauſa fuit, cur Demotheſenes Philippo Regi, majori foret terrori, quam univerſa Græcia; quia non ingenium ſuperatur viribus, ſed vires ingenio. Parva ſunt arma foris, dicebat Romanus Orator, niſi conſilium ſit domi. Profecto neque Alexander admodum frequentes legiſſet victorias, ſi prudentum conſilio cuncta non egiſſet.

Sapientis quoque, & providi Principis eſt, pacem colere, & tamen ſemper parare arma, pacisque tempore ea cogitare, quæ belli ſunt. Actum eſt, præſente hoſte, amicos quærere, aut imminente, eosdem conſciſcere velle. Ars bellandi, ſi non præluditur, cum fuerit neceſſaria, non habebitur. Diſce in otio, quid te acturum velis in bello. De cubiculo in aciem, de umbra in ſolem durum eſt egredi. Pax non us-

que adversatur armis, ut ea prorsus respuat, cum per hæc confervetur illa. Si quando ad expugnandam civitatem adjeceris animum, sub initium pacem ei offeres; nam apud Principes justitiæ amantes non parantur bella cupiditate, aut crudelitate; sed pacis geruntur studio, Neque quæritur pax, ut bellum exerceatur; verum bellum suscipitur, ut optata pax rursus Regno restituatur; quamobrem summæ insipientiæ est, movere bellum; si florente Republica liceat retinere pacem. Si autem necesse est, periculum adire iusta, ac legitima de causa, reprehensione dignum eum censeo, qui fugit; non vero qui sustinet periculi procellam. Stipendia militum mereri, hostemque infesto animo invadere, delictum non est, sed adversus æquitatis leges sola habendi libidine prædas agere, innocentumque fundere sanguinem; scelus est. Neque facile bellum meditantur Principes, nisi veris accipiant rumoribus, vicinos magnis sumptibus legere militiam.

litiam. Solá armorum fama nobis vel accerfit periculum, vel aliis injicit metum.

Callidioris naturæ Principes, armorum causas veras obtegunt, vel alias prætexunt, ut suspensos alios teneant, neve se suspectos reddant; quin fervente quoque pugna sæpe non tam conscriptæ militiæ robore, quam subdola arte opus est; exemplo sit, ut cæteros taceam, L. Lucullus, qui cognito, Macedonum equites, quos auxilium latentes ratus est, subito consensu ad hostem transfugere, mox signa canere jussit, & turmas, quæ eos sequerentur, immisit; hostis committi prælium arbitratus, transfugas telis excepit Macedones, qui, cum viderent, neque recipi se ab adversariis, & premi ab his, quos deseruerant, ad justum bellum conversi hostem invaserunt. Nullus itaque, mi Princeps! jam dubito, quin meæ subscribas sententiæ, reapse bella non magis corporis robore, quam consilio, & prudentia geri posse; quamobrem vide, quid Te
agere

agere par sit, si lætam de hostibus victoriam referre velis. Pyrrhus Epirotarum Rex non raro dicere solitus: plures urbes Cyneæ Oratoris eloquentia, & consilio esse captas, quam viribus exercitus armati; non enim ipsum latebat, negotia periculi plena non fortitudine duntaxat; sed arte quoque, & ingenio superari posse; quid igitur mirum, si nonnulli Regnantes quamvis numero militum inferiores; victores tamen de hoste evaserint, cum tanti valeat ingenium.

COROLLARIUM II.

Princeps exterarum Potentiarum ad bellum non provocet, quamdiu pacem cum iis colere potest, cum pugnae exitus incertus sit.

Cum victoriam de hoste legere in nostra potestate minime sit positum, alienum a prudentia foret, si Princeps actutum in aciem descenderet, fortunamque suam dubiæ committeret aleæ, simulatque eum incederet cupido manus cum aliis conferendi; quid enim quæque nox, aut dies ferat, incertum est, puncto sæpe temporis maximarum rerum momenta vertuntur. Quamobrem errant, quicumque in bello suis confisi viribus optatos eventus non secus, atque præsentis, se tenere arbitrantur. Bellorum successus prosperi, aut adversi sunt, qui a viribus, vel earum defectu, tum ab occasione, quam vel fortuitus offert casus, vel ratio aperit, dependent.

dent. Si præliandi causa ad æquitatis leges exacta fuerit, non est, quod vereatur Princeps, ne pugnae exitus desiderio non respondeat; contra terrore percellatur oportet, si nulla alia, quam habendi libido ad bellandum inflammavit; prælio autem male instituto, necesse est, ut Regnum pessime a suis audiat; nihil enim admodum obnoxium sinistris sermonibus existimo, atque bellum non ex fortuna gestum.

Repetamus, si lubet, ^hmemoriam præteriti temporis, mox non in paucos offendemus, quorum nomina silentio præterire satius esse iudico, quam recensere; ii ut voluntatem ampliores reditus consequendo, quemadmodum vana spe se ipsos aluerunt, explerent, nulla injuria laceffiti cum externa Potentia in arenam descendere, religioni sibi non duxerunt; quid factum? dubio nonnunquam Marte pugnatum, demum, exhaustis Regni viribus, inferiores prælio ex acie discedere sunt coacti, qua re tantum sui odium
 apud

apud suos peperere, ut, cum fugientem fortunam revocare nequiverint, vitæ suæ tædio, pudoreque confecti, post paululum turpis sui desiderii victima ceciderint, qui prorsus immemores illius fuisse videntur; bellum facile quidem suscipi posse, aut ægerrime terminari, & quamvis ejusdem initium in Principis potestate sit positum; non tamen finis; nam incipere, cuivis etiam ignavo conceditur; deponere vero, cum Victores volunt. Quamobrem bellum causæ duntaxat reddunt reprehensione dignum, ut sunt: nocendi, ac dominandi nimia cupiditas, vana æmulatio, amplioris gloriæ obtinendæ studium, nec non alieni Regni subjugandi aviditas.

Illud itaque bellum justum existimet Imperans, dum hosti nihil justitiæ suffragatur, quin ardor quoque abolendæ ignominia, causa æquissima cum alio confligendi; ignominia vero censenda mihi videtur, si abs eo accipiat cladem, qui nec populi frequentia, nec dignitate Regni, nec

opum abundantia par ei judicandus foret; ut enim modestia est, quiescere, si non afficiaris injuria, ita justitia est, dum injuria afficeris, bellum paci antepone. Justum perinde iis bellum puta, quibus necessarium; & pia arma, quibus nulla nisi in armis relinquitur spes. Prælia gerimus eum in finem, ut in pace ducamus vitam, & negotiis nos intendimus, ut subinde in otio commoremur. E quibus, mi Princeps! concludas oportet, ita bellum suscipere debere, ut nihil aliud, quam pacem quærere videare; ex omni autem occasione captare causas belli, non justè regnantis, sed insidiantis est. Porro consultius quoque existimo, arduum, & difficile bellum evitare honestis conditionibus hosti concessis, quam Te cupiditate vindictæ in incertum Martis discrimen conjicere; noveris ergo aut illud suscipiendum non esse, aut pro dignitate gerendum; secus odium tuorum, & exterorum incurres contemptum; nam prælia temere quærentibus

multi sæpe finistri eventus, & tristes acciderunt clades, & non raro fatum ultimum; quin nec hostem unquam contempnendum reor, tametsi imbellis, cum victoriam arte militari, subdoloque agendi modo liceat consequi.

» Cum Principibus vero, quibus in pactis nulla est fides, magis expedit armis dimicare, quam mutuo fœdere jungi; inutile enim videtur, pacem sperare a perfido; & periculi plenum, ab armis desistere, nunquam quieto vicino, aut insidiante semper æmulo. Ad extremum quemadmodum Regnantem Christianis principiis innutritum inducias repudiare non oportet; ita eas multo etiam auro mercari, & pacisci, ut iis cladem redimat, nihil adversus dignitatem Regiam se acturum sciat; nullum enim tantum pretium est, quo majus non sit, dum hostis distinetur a victoriæ cursu, & immune a ruina conservatur Regnum. Profecto induciæ subjectionem non inferunt, sed ex opportunitate temporis am-

pliores vires , quibus firma securitate licebit belli subire aleam, & cum fœnore recuperare amissum. Quibus allatis , fac arbitrum agas , an non satius foret , cum exteris Potentiis pacem colere , mutuaque illas fovere charitate ; quam infestis armis ad Martis allicere campum , cum incertum pugnae eventum nemo negaverit.

COROLLARIUM III.

Princeps si iustis de causis pacem bello mutet , admodum instructus sit ad praelium , ut adversarius non modo resistendo sed frangendis etiam eorum viribus parem se præbeat.

Ave , mi Princeps ! existimes , Te mox bellum meditari posse , si æquitati confidaris , huic scientiam rei militaris jungas necesse est , ut triumphum de hoste agas , quæ in providendo , agendo , & finiendo bello consistit. Fortiter agendum , ut gloriosum ei imponas finem ;

mul-

multum providendum, ut impavido pectore agas, diu apparanda omnia, ut celerius vincās. Providendum primo de nervo belli, sine quo tantum abest, ut spes referendæ victoriæ affulgeat, ut occidentis tuæ fortunæ exitum metuendum habeas potius; nam minime sufficere videtur, ab armis duntaxat instructum esse; sed pares quoque sustinendo bello sumptus adesse oportet. Videndum una, ne comæatus ab hoste intercludantur, fecus caritate annonæ quid aliud expectes, quàm ut milites viribus defecti animo concidant, ac demum a tarpi fuga salutem petere cogantur; eam ob causam dicebat Alexander Magnus: milites non facile terrore percelli, si in castris vitæ conservandæ mediis non laborent.

Sed demus hæc omnia, quæ paucis complexus sum, in exercitu non desiderari, an jam equitum, peditumque turba erecto spiritu adversarium per latus armis petent? Profecto si

machinæ belli, cæteraque impedimenta solito tardius sequantur, quæ tunc proprie impedimenta dicenda reor, dum iis destituti milites, levibus duntaxat incurſionibus tempus infumunt, neque inimicum junctis viribus aggrediuntur, contenti ſi de ſtatione ſua non depellantur. Error vix alius hoc frequentior eſt, & tamen non alius minus emendatur unquam, elabentibus ſub id temporis optimis occaſionibus. Perinde tua interit, mi Princeps! ut Viros, qui ſub ſigno tuo ſtipendia merentur, diſciplina, robur, impavidus animus, fides, quæ primæ militum dotes ſunt, commendent; nam diſciplina illos continet, eaque dilapſa, latrocinium exercebunt magis, quam bellabunt. Plusque Ducem ſuum miles timeat, ac hoſtem; quin multo etiam ſatius fore exiſtimo, ſi in proſperis juxta, atque adverſis a Superiorum voluntate pendeat, quam ut eorum injuſſu victricibus armis cum inimico dimicet, cum cæca, & conſtans obedientia ſit omnis diſcipline mili.

militaris spiritus. Effrænes vero impedimento majori sunt, quam præsidio; hospitibus illi tantum metuendi, non hostibus.

Apæge, qui pace prædas, inter arma fugam meditantur, inter pocula vino plena victorias canunt, in hybernis leones, in præliis lepores agunt. Verum non raro Ducum avaritia dissolvit probos viroꝝ mores, & in latrones commutat; eam ob causam princeps cura tua sit, quos præ aliis conscribere oporteat milites; id enim citra dubium est, gentem genti præliandi dexteritate præstare. Locorum asperitas firmiores reddit homines; nam sub cælo aperto laboribus innutriti facilius sustinent belli incommoda; illos igitur militiæ non tam idoneos, quam natos velim iudices, quorum artus induravit natura in adversos casus, disciplina in obsequium, fides vero in constantiam, quibus non aurum, non argentum, sed ensis acer, facies cicatrice obducta cedit ornamento; quem in finem Ateas

litteras exaravit Philippo : Tu imperas Macedonibus bellandi peritis ; at ego Scythis , qui cum fame , siti , aquilone pugnare noverunt.

Multum quoque felicitati tuæ consules , si domesticos potius erudiās armis , quam alienos mercede conducas ; mercenarius miles venalis est , fidem vānum exponit plus pollicenti. Postremo illos in verorum militum numerum adlegendos puta , qui nihil magis verentur , quam turpem fugam , quæ dum eos prohibet fugere , faciet aliquando victores. Et sane indignum Martis pugile , vulnera adverso corpore excipere , salutemque mutata fortunæ alea in pedibus collocare. Non morabor jam pluribus , ad extremum auctor , suasorque Tibi sum , ut , si justis de causis pacem bello mutes , admodum instructus sis ad prælium , ut adversariis non modo resistendo , verum frangendis etiam eorum viribus parem Te præbeas.

COROLLARIUM IV.

Belliduces ii militiæ proficiendi sunt, qui quemadmodum suis spem, & robur animi inspirant, ita hosti terrorem incutiunt.

Nisi militiæ Duces prudentia, ac animi magnitudine cæteris præstiterint, milites expectationi sui Principis minime respondebunt; quod si vero illos arena, aut campus invictos armis Viros probaverit, invicti una reliqui futuri sint, necesse est. Quorum perinde muneris esse existimo, ut in expeditionibus curæ suæ concreditos spe, ac præmiis erigant, tum ad ardua quæque superanda accendant. Profecto longus rerum usus, & utriusque fortunæ casus commendant Belliduces, nec non circumspectio in agendo, vigilantia in observando, astus, & caliditas in prævidendo. Nolo Minucios, qui se castris pavidi teneant, ut ex eorum metu adver-

fariorum crescat audacia. Nolo Fabios cunctatores, qui ignaviae innutriti videantur. Nolo Marcellos, Flaminius, Varrones, audaces plus æquo Duces, & temeritati asuatos. Medios requiro, qui extrema rerum evitent, qui periculis prospiciant, eaque declinent; qui norint vires exiguas intendere, & nimias moderari, quique e dubia alea faciant certam.

Præ aliis autem fama rerum gestarum, summum est in Belliduce encomium, cujus nomen metuant hostes; nam & fortunæ fama ei non minus necessària est, quam ipsa authoritas, reique militaris peritia, qua ita instruat aciem, ut oportunitate loci, temporis, aliorumque stratagematum, singuli compluribus sufficiant; tum ita semper agat, seque moveat exercitus, atque ita provisos sit, ac si actutum hostis adestet. Occasiones præstoletur, nunquam eas negligat, hosti nusquam quietem concedat; nam sola apparatus militaris fama plurima sæpe sine sanguine conficit

eit bella, injecto in adversarios Panico metu. Jam vero quemadmodum in navigando gubernatio navis non illi conceditur, qui natalibus, opibus ceteros anteit; sed qui gubernandi peritia, & vigilantia suis præstat; non secus belli administratio ei præ aliis committenda videtur, qui reliquos sapientia, fortuna antecellit; nam in omnibus dignitatibus obeundis non tam generis, quam virtutis, ratio est habenda, neque tam homines considerandi, quam hominum actiones spectandæ. Optimum quidem foret, ut illustres, ac e vetusta nobili prosapia orti Duces belli eligantur; id enim plurimum conducit ad authoritatem non apud suos duntaxat, sed & hostes tum comparandam, tum conservandam; quin hi amplius quoque gloriæ studio accenduntur, atque plebejo sanguine nati, tum minus sunt ad prodiones proclives, quam qui e vili conditione emerferant; hos enim utilitas movet, illos honestas stimulat.

Quibus expositis, illud me tantisper suspensum tenet, utrum peregrinis, an vero Patriæ aliis munus Belliducis sit committendum? Mi Princeps! si a meis consiliis stare velis, auctor tibi sum, ut domesticis præ omnibus aliis conferas; Duces enim, qui natales suos exteris Regnis in acceptis referunt, longe majoribus stipendiis, & præmiis conducendos reor, quam domesticos, tum iis innatum quasi videtur, ut, simulatque dignitatem adeunt, mox pleraque immutent, quæ res militum genio minime arridet. Tum adducunt secum suæ nationis homines, quos veterani tui, de Regno bene meriti, si præferri sibi videant, concident animo, livore tabescent, nèque illos perinde tibi, atque antea fideles experieris. Accedit & illud, peregrinos non habere perspectam tuorum naturam, neque Regni plenam tenere cognitionem, quæ tamen admodum necessaria videtur, ut secus victoriam sæpe hostibus cedere cogantur, Verum si nemo tuo-

rum tantæ dignitati gerendæ par judicaretur, ex alia Provincia accersendum puto; quemadmodum Carthaginenses Xantippum Spartanum crearunt Ducem, qui infestis suis armis de Romanis triumphum egit; Athenienses æque militiæ suæ præfecerunt Heraclium Clazomenium, tum Artaxerxes Persarum Rex; Ægypto bellum illaturus Iphicratem Atheniensem Ducem dixit.

Supereſt, ut præter eas, quas sub initium retuli, virtutes, alias paucis adducam, quas tanto Viro inesse oportere existimo. Sit itaque prudens; nam unico quandoque consilio ingens hostium vis superatur, & in prælio majora animi, quam corporis viribus peraguntur. Sit vigilans, afuetus laboribus, adversariorumque consilia nota habeat; publica enim injuria censetur esse, dum ejus vitio finitri aliquid accidit, & magnam exercitus jacturam patitur, si consilia inimicorum ignoret; eam ob causam nulla pecunia rectius collocatur, quam quæ in explora-

tores exponitur. Sit severus, omnesque culpas militum vindicet, nec ulli errantium ignoscere credatur, quo pacto & authoritas amplior conciliabitur, & felicius res cunctæ gerentur. Sit paucus verborum, secretorumque tenax, vinculum enim optimum est, rerum publicarum gerendarum taciturnitas. Sit continens, ac temperans; cum agere fortia nequeant, qui voluptatibus sunt dediti. Sit fortis animi, quem nulla adversa dejiciant; melior enim est exercitus cervorum duce leone, quam leonum duce cervo. E quibus, mi Princeps! conjicies, quanta attentione opus sit, ut eos præficias militiæ, qui, quemadmodum tuis spem, ac robur animi inspirant, non secus hosti terrorem incutiunt.

COROLLARIUM V.

*Quae praecipuae Imperatoris exercitus belli tempore
curae?*

Nemo, ut opinor, in dubium vocaverit, oportunitatem loci, in quo conflegendum est, plurimum conferre ad victoriam obtinendam; quamobrem Belliducis erit, non modo Regionis, in qua bellum geritur, exactam habere notitiam, cum primis circa passus, angustias viarum, vada fluminum, constitutionem sylvarum, vallium, montium, & locorum palustrium, ne ab hoste vel simulata fuga, vel alio dolo in insidias deducatur: verum etiam locum pugnae perquam idoneum eligere, quem neque ceteris humiliorem, neque omni ex parte hosti patentem esse oportet; secus praesenti periculo lectam suorum manum objiciet. Multum itaque proderit altiores campos collium instar pro acie instruenda

da designare; quod si vero ab hoste partes editiores forent occupatae, mox aut fugam simulando, aut sublesto quodam agendi modo ad plunitiam deducendus erit.

• Perinde Belliducis commendabit prudentiam, si eo in loco castra metetur, ad quem adversario unicum duntaxat, illudque perdifficile patet iter; cuius non postrema quoque cura sit, ut a latere, vel tergo sylvas, aut paludes nanciscatur, quo inclinata fortuna exercitus aut sublicio ponte, aut alia subduci possit via. Caveat una, ne totam, cui praest, aciem in apertum deducat campum, quamvis major foret numero hostium; secus vereor, ne opinione citius circumveniatur. Annibal adversus Marcellum pugnaturus, cavas, & praeruptas vias a latere objecit adversario, ipsa natura in sui defensionem usus, quo pacto peritissimum militaris scientiae Ducem vicit, ac profligavit. Idem dum ad Cannas castra poneret averfa a Vulturno vento, qui

campis siccitate horridis nubes pulverum cogere
 assolet, tam occulto astu robur suorum militum
 direxit, ut tota vis a tergo suis; Romanis vero
 in oculos incideret, quibus affecti incommodis
 non multo post hostium victimæ ceciderunt.

Ne itaque fugientem fortunam ægre admo-
 dum, inimico superiore præliis jam effecto, re-
 vocare exercitus Imperator queat, omnibus re-
 bus velim antevertât, ut, si collem natura ob-
 tulerit, actutum eundem teneat, ac in illo tor-
 menta ita disponat, ut suis minime obsint; si
 autem Regionis situs tantum commodi ei nega-
 verit, enitatur proxima nocte, quam conflictus
 dies excipit, ædificare tumulum tantæ altitudinis,
 ut pilæ ignivomæ sine suorum periculo torquean-
 tur, ac emittantur in hostem; quodsi neque hoc
 effici posset, jungantur aliquot fortiores currus,
 iisque imponantur crassiora tabulata, in quibus
 minores bellicæ machinæ locentur. Imperatum
 vero aggredi adversarium, fractum viribus, ali-

isque distractum curis, est certum victoriæ præ-
 ludium; nam subitæ res terrent hostes, usitate
 prævidentur, prævisæ vilescunt. Nunquam autem
 inimicum infestis armis petat, nisi eum bello in-
 ferentem evasurum speret. Campos eligat equi-
 tibus, angusta vero loca peditum turmæ legat,
 ac una enitatur, ut prior aciem instruat, pro-
 ptumque se exhibeat prælio; plus quippe animi
 est, inferenti periculum, quam propulsanti; se-
 cito præludit victoriæ, qui rebus omnibus præ-
 videt, ne vincatur.

Cæterum aggressio omnis citra personam
 respectum fiat per fortissimos. Omnia primæ
 metam gignunt, aut fiduciam; at si Regionis situs,
 pugnæque locus; si fulgor solis, si tormenta ho-
 stium suis adversa fore videantur; nolim disci-
 mini aciem exponat. Tamdiu agminibus fluctet,
 suspensum tenendo hostem, quamdiu occasio
 nanciscatur opportunam, sine periculo confige-
 di; sin minus, adhortationibus suppleat, mē-

temque erigat ex necessitate in virtutem, ex virtute in spem victoriæ; acrius enim pugnant, quibus certum discrimen, exigua spes pacis, aut veniæ est relicta. Multum quoque conducet, si se haud secus, ac Ducem, periculorumque socium gerat; crescet perinde militum animus, si ex insidiis opportunitate locorum natis, vel inopinata occasione quidpiam ea, qua decet. fortitudine egerit, quin victoriæ referendæ non parum serviet, ut lectissimos equitum, peditumque in occultum abdat, ad quævis subsidia præparatos. Neque moveatur hostium clamore, aut impetu, inania hæc sunt, umbra duntaxat fortitudinis, non causæ. Stet firmus sub exordium prælii Bellidux, nec segnem, nec præcipitem se præbeat, donec evaporet fumus hostilis furæ, demum Virum se eo, quo par est, modo exhibeat, instet audacter, ardorem animi oculis, vultuque præferat, cum impavidum eum cernet hostis, ipse mox timore percelletur.

Sed pluribus fortasse, quam debui; paucioribus tamen, quam volui, differuisse videor, quid in aperto campo sit cum hoste agendum; videamus, si lubet, quid Ducem Urbem oppugnaturum agere oporteat. Is antequam eidem armatam inferat manum, perquam necessarium fore judico, ut noverit illius situm, munitionem, capacitatem, cōpiam annonæ, militumque frequentiam. Tum simulatque exercitum Urbi admoveat, actutum princeps ejus cura sit, ut obsessis omne excludat auxilium, Castra eo in loco figat, qui neque exundanti aquæ evadat obnoxius, neque arduus suis eo pateat aditus. Si colles molliter deflecti impedimento forent, includantur recens erectis munitionibus, quarum aliæ exteriores, quæ objiciuntur hosti obsidionem soluturo, aliæ interiores, quæ obsessis remoram injiciant, ne eruptionibus suis pares nocendo esse possint; quibus perfectis, debiliores Urbis partes tormentis impetendæ erunt, injectis con-

tinuis globis, ut hostis, nudatis mœnibus, urgenteque fame victas manus dare cogatur.

Quodsi vero, mi Princeps! munitio tuæ ditioni subjecta defendenda esset, præcipuus Ducis labor sit, hostem quam longissime a propugnaculo arcere; si autem collis, sylvæ, aut quodpiam ædificium adversariis favere videatur, mox illud solo æquetur; quem in finem necesse est, ut obsessi crebro erumpant ex Urbe, ac hostem ab operibus, quæ orsi sunt, depellant, fossasque ab iisdem inceptas demoliantur, tormenta si avehere nequeant, clavis eisdem infixis corumpant, ne vitio contracto usui sint, tum debiliores munitionis partes aggeribus reddant firmiores, ut hostis spe omni concidat, receptuique canat maturius. Postremo inimico per cuniculos propugnaculum, vel cortinam suffodientem contrariis obvietur cuniculis, quibus repertis, pulvis efferatur, aut si hoc temporis non sinant angustiae, humectetur, ac igni aperiatur exitus.

Variae autem sunt cuniculos detegendi praxes. Alii ex pisorum super tympano fortius tenso subsultantium motu locum suffossionis conjiciunt, alii terrebras longissimas in solum subiectum profunde defigunt, aureque ad earum extremitatem applicata, pulsus explorant, alii aliis periclitantur artibus. Quamobrem vide mi Princeps! ne in Duce, quem militiae praefeceris tuae, scientia artis bellicae desideretur, ut victoricia tuorum signa terrori hostibus, Tibi gloriae, civibus praesidio sint.

COROLLARIUM VI.

Qua cautione Principem finito bello uti oportet?

Multi rara animi sui fortitudine, parique bellandi constantia, singularem sibi pepererunt gloriam, quos natura finxisse ad prælium, fortuna evexisse ad victoriam videbatur; moderatio tamen animi secus, atque oportuit, superato hoste, respondit factis, cujus haud aliam fuisse causam judico, quam defectum scientiæ rei militaris; ejus enim in gerendo bello quamvis gnaros se præbuerint: in finiendo tamen plurimum in illis ea desiderabatur. Vel itaque, mi Princeps! vinceris, vel vinces. Si inferior prælio ex acie discefferis, acerbiores fortunæ fructus cave tibi facias; patere, & spera, dispersos congrega, tutiora quære. Ferociores ex clade; modestiores ex victoria fuere Romani, in utraque fortuna semper impavidi, constantes, &

omnium imitatione digni; quamobrem victus quoque arma, si nondum Regnum viribus exhaustum est, restaura; occasiones quære, capta. Strue in occulto infidias, & quocunque modo irrumpe audacter, & exultantes, prædæque intentos hostes disjice, neca, fuga; nam pleni júbilo sub id tempus summo se conjiciunt discrimini, dum se periculi securos existimant.

Sape jam fusa acies victores dispersos, & sua commoda sectantes, reparatis viribus, fugavit; quin delevit nonnunquam, cum præ felicitate superbe, adeoque incaute efferebant amicos. Meminisse te velim Gallorum, qui Romam delapsi, Urbeque crebris incendiis suo decore exuta, Capitolio expugnando vim tantam admovere, ut cives velut ad spectaculum occidentis Patriæ a fortuna positi, arma duntaxat in dextris tanquam solas reliquias spei suæ jam intuerentur; nihilominus tot onerati, atque obruti malis tantum abest, ut ad deditiorem flecterent

animos, quamvis omnia flammis, ac ruinis æquata viderent, ut ultima quæque experiri statuerint; demum hostes obsidionis tædio victi, haud procul ab Urbe discesserunt, quorum castra intacta, neglectaque omni ex parte nacti Ardeates Duce Camillo Romanorum facile Principe, clamore invadunt. Nusquam prælium, omnibus in locis cædes erat; nuda corpora, & somno soluta trucidantur; extremos vero pavor cubilibus suis excitos in fugam, quosdam in hostem ipsum impavidos tulit. Quamobrem is mihi fortis, & invictus Dux probatur, qui inter suos fuga salutem consulere volentes reparat pugnam; & dum vincere nequit, invictus animo ab ipsis hostibus censetur. Cato Patria pene extorris, cum abs suis urgeretur, ut ad Cæsaris rediret gratiam, respondit: Catonem nec victum, nec captum esse; qui se per omnem vitam invictum præstitisset. Sed quidquid sit, miserum tamen est, adverso Marte pugnasse; optimum igitur factu exi-

stimo, aut vicinos colles petere, aut firmis munitionibus militiam concludere, ut dejectum spiritum erigere, ac confirmare tantisper queat, tum, mi Princeps! opportunis occasionebus interde animum, fugientem fortunam revocandi; nam tanto magis te fortem crede, quanto minus te adversa frangunt.

At si secundo prælio copias hostium fudisti, viam, qua cæterorum superstites fugam capessunt, vel præclude, dum integris pene viribus tuos conspicias, vel aperi, quando victoria ipsa, quam de inimico legeras, multo sanguine tibi stetit, qui enim, dispersis suis, inconsulte sequitur adversarios, quam ipse indeptus est, illis suo agendi modo, palmam reddere intendit; quapropter cave præcox in rapiendas prædas effundaris; persæpe enim non levi damno cessit vincen- tibus, pravum inter ipsos de dividendis spoliis enatum certamen. Tum non raro una victoria parit plures, si prima utaris. Vincere novit

Annibal ; sed superatis hostibus sibi moderari ignorabat. Et si egregium est, æmulum infestis armis frangere, non minus gloriosum, infelicium velle, cum possis, ac debeas, misereri. Cneus Pompejus Tigranem bello inferiorem, multisque rebus imperatis, pristinae fortunæ reddidit, æque pulchrum esse judicans, & vincere Reges, & facere.

Profecto decet Principes in ipsis præliis memores esse clementiæ ; barbaræ enim severitatis reor, sævire in prostratos ; quam tamen admodum temperandam fore judico, ne demum ea ipsa sit exitio ; nam nonnunquam evenisse comperimus, ut hostis fugam, aut deditionem sublesto animo simulet, quo reparatis viribus acrior infurgat in victorem. Prudentissimi Regnantes non in multa clade hostium, sed in salute, ac incolumitate suorum victoriæ decus posuere. Sufficiat vicisse. Non usque profundendus est adversum inuatum homini agendi modum sanguis

adversariorum, qui in torrentes abeat, ampliusque crudelitatem, quam victoriam sapiat, cum primis si cum Christianis geratur bellum. Quamobrem, ut finem hac super re sermoni imponam meo; scito mi Princeps! parta victoria, singulari Tibi opus esse moderatione, & temperantia, ne prospero fortunæ cursu evadas elatior, in ea abiens consilia, quæ Te post paululum ex sublimi gloria, quam nactus es, præcipitem agent, quod non paucis magni nominis Principibus accidisse ex veteri perinde, atque nova historia docemur; quos tamen silentio præterire, fatius esse arbitror, atque coram adducere, cum legens facile in eos vel invidius offendas.

Principi pax præ bello optanda est.

T H E O R E M A.

Principes, qui pacem negligunt, summam in natura humana felicitatem non agnoscunt.

Imperans quamvis eas animi dotibus jungat virtutes, ut gubernando Regno parem se præbeat; suorum tamen desiderium minime explebit, si bellum paci præferendum existimet; dum enim hostium grassatur furor, nonne profiigata gemit omnis pietas, oppressa jacet Religio, proscripta exulat legum sanctitas? Neque aliud loquuntur urbes mœstos in cineres redactæ, desolati ferro, flammaque exhausti pagi, succisæ sylvæ, abducti duram in servitutem coloni, quam tristitia, sublata salutis, ac libertatis peremptæ monumenta. Finge, si lubet, Regionem insano belli

belli

belli furore exagitatam, nonne congesti occurrerent cadaverum acervi? Nonne disjecta templa veterem suum decorem lugere cernes, Nonne civium ejulatus, graves Parentum gemitus implebunt aures? E quibus, me quoque tacente, conicies, summam felicitatis in terra pacem esse, & tranquillitatem populorum, quam cumprimis Te colere, tum decet, tum oportet, si subditorum tuorum amore teneris, & abs iis una amari desideras.

Verum, si eam tanto, necesse sit, mercari pretio, ut hostis potentior eo evadat, non est pax, sed pactio servitutis. Perinde metue, dum pars altera pactis stare velle non videtur, ne præter opinionem rursus involvaris bello; simulata enim ab adversario concordia multos perdidit, incautos obruit, rebusque suis indormientes Regno exiit; quamobrem a sublestæ fidei hostibus, a Punicæ naturæ vicinis, tum ab reconciliatis inimicis nunquam sinceram, minus lon-

gam pacem expecta. Illud autem tempus sanciendo foederi maxime idoneum arbitror, quo uterque amulorum viribus confidunt suis, paresque pugnando videntur; secus servituti Te subijcies, non amicitiam inibis. Pacem autem eos inter, qui mutuo ardent odio, tractare, opus est Angelicum, concludere prorsus Divinum, ad quam ineundam, necesse est, adhibere Principem viribus, ac majestate valentem, tum utrique amicum, cujus intererit curæ, similitates animorum tollere, positisque armis, amborum satisfacere voluntati, quos servandi foederis admodum securos reddat, ut, si alter illorum in ejus leges peccare videretur, Mediator mox ipsum seu hortatu, seu etiam armis componere teneatur.

Caveat autem rerum arbiter, causas belli auditu ingratas in medium adducat, aut præteritarum injuriarum meminèrit; nam earum memoria resrudescunt animi vulnera, quæ consenuisse videbantur. Quare, mi Princeps! pacem sum-

mo, quo potes, semper studio cole, Patriæ, ac subditorum tuorum salutem consule; nolique committere, ut florentem Regni fortunam tristior belli motus fugientem reddat; sed laborandum in hoc præ aliis existima, ut, si qua gliscere belli scintilla cœperit, illam in ortu actutum comprime, ne sparsæ latius ejusdem flammæ in commune Regni exitium misere grassentur, tum haud dubie dominabitur tranquillitas, inviolata coletur legum observantia, docta fervebunt studia, florebut commercia, novisque in dies subditorum res accessionibus cumulabuntur. Æquum igitur est, ut pacem præ bello optes, ejusque fovendæ tenearis studio.

EX QUO HAUD DUBIE ENASCITUR.

COROLLARIUM I.

*Princeps, in sancienda pace, induciisque concedendis
perquam providus fit.*

Haud scio, an ulla in re, majore vigilantia Principi opus sit, atque in tractando fœdere, ne callidis quorundam consiliis inductus sibi minus consulat, amplius prospiciat aliis; quamobrem in sancienda pace id constituatur, ut controversiæ, quæ secuturo tempore enascerentur, aut induciis dirimantur, aut æquis componantur arbitris, antequam rursus militare intonet classicum. Hanc vero armorum suspensionem tam in concordia ineunda, quam etiam si nonnullæ suborirentur difficultates, utilem omnino, & prorsus necessariam ipso jure gentium fore existimo; quod enim jure confici potest, armis ne transigatur. Cognatæ autem induciis insidiæ sunt; nam

quos-

quosdam bello invictos induciæ fecerunt; quin permulta quoque damna per illas Regnis fuisse illata, tristes nos commonent eventus. Thraces cum Boëtiis certo dierum numero se ab armis abstinere velle pepigerunt, ut a laboribus vacui otium de pace meditandi nanciscantur, veram simulata duntaxat, qua adversariis imponant; tum noctu, dum hi in tuto se arbitrarentur, agros eorum populantur, violatam fidem inculant damnum passi, negant illi, se sublesta egisse fide, cum induciæ dierum factæ essent, non noctium. Perfidia hæc, & ingenuo Principe indigna.

Horret non secus animus, cum Radamisti barbarum facinus memoria repeto, qui, ut Cornelius refert, in Mithridatis amplexus effusus, subdole tegens plenum sceleris animum, jurejurando spondet, se nec ferro, nec veneno vim illaturum, mox in lucum proximum concedit, provisum illic Sacrificium dictitans, ut Diis te-

sibus, pax firmaretur. Sed quid immoror? Radamistus quasi datæ fidei non inmemor, neque ferrum, neque venenum in Mithridatem exprimit, sed veste multa, & gravi opertum necat. Vide itaque, mi Princeps! ne primum Te ad credendum præbeas; nam persæpe induciæ hosti tempus largiuntur fractas reficiendi vires, amplioresque colligendi, liberius agitandi consilia, auxilia licentius contrahendi, tutius cognoscendi æmuli conatus, ferocius progrediendi in bellum; cum tamen nihil sit pacis religione antiquius; idem profecto juratæ pacis reus, ac contemptor est Numinis, qua de causa Athenienses fidei violatores, neque defunctos terra mandarunt, neque vivos civium consortio frui admiserunt; ideo Julius Cæsar dicere solitus: placere sibi prodicionem, non proditorem; Antigonus vero assererat: se proditores amare, cum proderent, ubi autem prodidissent odio prosequi.

Quis jam negaverit, turpe, ac Christiano Principe prorsus indignum, frangere fidem, quod præclaro Alexandri Regis testimonio comprobatur; nam cum Parmenio Princeps militiæ quidpiam suaderet, quod præter fidem, & decorem videbatur fore, repeteretque sæpius: ego, quidem facerem, si essem Alexander, & ego, ait: si essem Parmenio, gnarus illius, nihil a Regibus patrandum, nisi animo regio dignum. Postremo nosse cupis, quinam rumpere pacem censeantur, paucis accipe: non qui bellum primi movent; sed qui per insidias foederum tempore arma cepissent. Pacem æque violant, non qui depellunt, sed qui priores inferunt injuriam. Non secus pacem infringunt, non, qui deserti aliena quærunt auxilia; verum qui socios, quibus mutuo foedere juncti sunt, non defendunt. Fac itaque, mi Princeps! ut fidem, qua Te alteri obstrinxeras, eo, quo oportet, modo exsolvas, ac una in sancienda pace admodum providum Te

exhibeas, ne, dum rebus tuis prospicere fatigis, plurimum officias.

COROLLARIUM II.

Caveat Princeps, ne fœdus cum quavis Potentia temere ineat, nisi maximo discrimini Regni felicitatem objicere velit.

Teste Aristotele, nihil religione fœderum antiquius, quæ originem aut a virium diffidentia, aut a majoris Potentiæ metu repetere videntur, & sæpe a dominandi libidine; illa ad reprimendas duntaxat hostium vires, ista ad gravius inferendum bellum junguntur. Ut igitur defendendis Regni tui finibus, mi Princeps! parem Te præbeas, noveris, aut æmulo, quem natus es, fortiolem Te esse oportere, aut validiores habere debere amicos, & socios; nam ut superior bello evadas, ægre admodum auxiliariis destitutus copiis consequeris; adjuvare autem

imbecillem, charitatis est; potentem, elationis. Verum in paciscendis fœderibus, Viri etiam cauti, dum cavent, vix cavent, & qui iis se arctius, aut pluribus implicant, non raro inviti rapiuntur ad injuste agendum, aut unius ruina periclitantur cæteri.

Magna intercedunt in utramque partem; quæ non minus suadent ineunda fœdera, ac dissuadent. Si plures mutua voluntate pepigerint, induci vix possum, ut credam, singulos in fide constantes fore. Ubi variæ dominantur cupiditates, & varii sunt fœderatorum fines, facile perturbationes, ac suspiciones suboriuntur, quibus tanto fœdus dividetur animo, quanto firmiori societatis vinculo adstrictos se arbitrabantur. Principes, quibus opes minus affluunt, fœderibus se muniunt, ut felicitati Regni amplius prospiciant; æmulatio enim vix firma diu inter pares potentia sinet esse fœdera. Qui vero a partium studio alienum se exhibet, tantum abest,

ut ab aliquo gratiam ineat, qua indignum se reddit, ut omnium potius incurrat offensam; vetus enim illud est: qui hominibus invifus est, neminem familiari consuetudine jungit, qui neutrius, nullius est. Cum itaque ad contrahendam amicitiam, vel utilitas, vel metas Imperantes impellat, mox omnes in id intenduntur animo, ex quo spes adipiscendi commodi affulget; unde autem imminet metus, actutum singulorum concutiuntur pectora, commoventurque ad propulsandum commune periculum.

Fœdera inter Reges, ac Republicas similitatibus sunt obnoxia, eam ob causam raro admodum firma, ac diuturna fore censeo, ut pactis starent; nam Rex, & Republica, natura sua pugnant; ideo dispar eorum conditio instabilem ipsorum reddit societatem, dum dissidentibus opinionibus, moribus, voluntatibus, dissident etiam opera. Quod si fœdus abs sociis servatum non est, aut violari tentatum, ab eo alteri quoque rece-

dere licitum existimo. Domitius Philippo quondam dixisse fertur: quando tu non me habes pro Senatore, nec ego te pro Consule habeo; nam fides si uni non æqua, nec æqua est alteri; ejus perinde violatores, ac perfidi censeantur ii, qui callidis artibus; sublestoque animo sua tegunt consilia, ne integre fœderatis aperiant. Fœdera sancta sunt, si sincera, si justa, si servata; eam ob causam armis cæterorum castigandum reor, qui ad speciem duntaxat paciscitur,

E quibus facile arguo, eum, qui promissum opere non explet, ultorem habere tum Deum, tum hominem; servando autem, Regnum sicut exhaurire viribus, dum alienas roborat. Experti id olim fuere Albani, Veientes, Campani, Samnites, qui fœderum, & amicitie lenocinio illecti, Romanorum demum subiere dominium, adeo fœderum periculi plena est pactio, & difficilis servandi ratio. Quapropter uni si Te conjugas, plures offendes alios, qui plus damni

afferent, quam spei habeas a multis arcta societate Tibi unitis; nam aliena defensio nunquam tam sincera, tam efficax, tamque prompta est, atque propria. Segnes persæpe accurrunt fœderati in tutelam, suæque utilitate metiuntur expeditiones, interea labuntur optimæ occasione, dum minuitur expectatio externæ opis. Præcipua hoc tempore ineundorum fœderum causa est, æquilibrium politicum; omnes enim Republicæ cavent, ne Reges, ac Principes viribus evadant cæteris metuendi, quo pacto mutus metus non sinit mutuam potentiam crescere. Imbecilliores cum primis semper habeant suspecta potentiorum auxilia, cum ad oculum illis; sibi autem reapse prospiciant, quin illorum victoria quoque, quam ab hoste obtenturi sunt, amicorum subibit jugum; nature enim ordinem esse existimant, ut fortior dominetur debiliori.

Romana Respublica per fœdera, & Societates in servitutem redegit^o vicinos, & remotiores Reges sibi reddidit vœtigales. Jam vero, mi Princeps! si animum ad contrahendam adjecteris amicitiam, scito, eos Tibi populos fœdere jungendos esse, qui ut amici plurimum in prælio profuturi, sic inimici non secus minime nocituri videntur; vires autem hostium maxime infringit, qui socios ab iis abalienat. Multum nocuit Alcibiades Lacedæmoniis, cum ab his Tissaphetnem avertisset. Præ aliis vero cave, veteres tuos contempseris, aut violaveris, dum nova fœdera icis; hoc enim exulcerantur amplius, quo antiquior est fides. Verum ex omnibus nullum est servatu difficilium, atque quod inter Regnantem, & subditos confit, nihilque perinde Imperantium animos lædit, quam cum suis subditis, a quibus injurias tulerunt, pacisci oportet; miserum hoc fœdus est, invisum Cœlo, & mundo, dum vasallis neque armorum jus, neque belli,

pacisque authoritas ulla gentium, aut nature lege competat. Quibus allatis, vide mi Princeps! quid Te agere par sit, si fortunæ tuæ, Regnique salutem consulere cupis.

COROLLARIUM III.

Sapientis Principis est, ea uti moderatione, ne seditiones in Regno enascentur, ac enatæ mox sopiantur.

Haud scio, an ulla res majorem Regno perniciem afferat, atque seditio; nam ubi domestica quies intestinis fluctuat motibus, omnis priscae consuetudinis authoritas in præsens adducitur periculum; fœda enim animorum scissio Anarchiam, seu rerum omnium confusionem, & chaos quoddam inducit; præ aliis autem furoris destinantur victimæ, qui neutri adhærere videntur parti, tum quod mutuam operam jungere abnuant, tum quod nihil agendo salutem suam confu-

lere contendant. Proh cœcum hominum genus! qui non prævident, collisione non sibi, verum aliis mercari victorias; nam ubi Regnum viribus exhaustum fuerit, alienæ prædæ una exponitur tanquam in exitio occidentis fortunæ positum. Et cum seditio juri adversetur Divino; nam resistit potestati a Deo ordinatæ, pœna quoque multo gravissima eam comitari consuevit, suffragante Oraculo: *Time Dominum, fili mi, & Regem, & cum seditiosis non commiscearis, quia repentinus veniet interitus eorum.* Prov. 24.

Profecto rarum admodum, & prope nullum, etsi omnium temporum repetamus memoriam, felicitatis eventus ex seditione exemplum vidimus. Væ igitur Reipublicæ, in qua tot sensus sunt, quot capita. Væ Regno, quod ab unitate recedit. Væ singulis, qui rerum suarum contra, atque æquitas admittit, fatagunt. Nulla enim civitas tantis floret opibus, nullæ tantæ Regnum defendunt copiæ, quas seditio, civiumque com-

munis discordia non convellat, quæ tanto deterior est bello, quanto hoc fusestius pace. Origo autem omnis popularis furoris penes auctores residet, reliqui contagione insaniunt. Polybius in tres causas refundit seditionem, videlicet: si subditi suos Rectores ab legum justitia deflectere videant, vel dum ipsorum agendi modo admodum offenduntur, ut mutua odia palam quoque se prodant, vel denique cum spem rerum majorum consequendarum animo concipiunt, quibus Aristoteles subdit; minores ut fiant æquales, æquales ut evadant majores, utrosque vel impellit inopia, vel ambitio; nam infimæ fortis hominibus innatum est, divitibus opes ut invideant; ambitiosi vero ut plurimum degeneres, quibus nihil spei, nisi per discordias, affulget, in turbis summi habentur. Nulla autem seditio majus parit periculum, atque dum affinitate splendidi, tumidi opibus, ab exteris Principibus fulti, tumultum ex tumultu, bellum ex bello ferunt, ut,

excluso legitimo Principe, solium occupent. Libertatem Regni hi obtendunt, ut Regem evertant, quo everso, hunc, ipsamque libertatem aggredientur, & Regnum. Non secus ex violatione immunitatis, Religionis, contemptu Procerum, & Magistratum, nec non impositione onerum vires excedentium, oriri seditiones haud ignoramus.

Nihil vero tam Regno perniciosum, quam si populus eo projectæ audaciæ deveniat, ut palam obnitatur Domino, a cujus nutu pendere oporteret; Magistri horum malorum sunt Catilinæ illi, Bruti, Cassii, homines videlicet vel ære alieno pressi, vel in desperationem acti, vel flagitiis perditæ innutriti, vel otio plus nimio dediti. Profecto nunquam adeo properat ad tantam Regni ruinam multitudo, nisi incitata a quibusdam, qui non honores duntaxat, quos quieta Republica, desperant; perturbata autem se consequi posse arbitrantur; sed etiam scelerum, vitio-

tiorumque suorum impunitatem sperant peccando cum plurimis. Evertitur quoque Respublica, dum eo res devenit, ut potestas Principis, & Magistratus admodum minuatur, ut potentiores illi videantur, quos parere leges ipsæ jubent. Sic mutata est Respublica Thebanorum, idem Megarensibus, Syracusisq̄ue evenit, neque aliud Imperium Constantinopolitanum olim perdidit. Interdum Regnantes ipsi, aut ex nimia sævitia, aut plus æqua indulgentia commovent populum; quamobrem in virga tenere oportet subditos: sed non ferrea, sit ea virga directionis, quam singulari laude Vates Regius exornat.

Omnis autem seditio in quavis Civitate, & Regno curatu possibilis est, si mox ejus causæ tollantur; secus remedia multo difficiliora reddentur, atque fuerint principia. Cunctari in discordiis civilibus idem est; ac potens incendium amplius promovere, quibus in rebus festinatione potius, factoque magis, quam consilio opus esse

cenſeo, Princeps, qui ſua vel incuria, vel faci-
 litate conſultationes inter turbati animi homines
 patitur, proxime ſuam authoritatem discrimini
 exponit. Seditio antequam adoleſcat, mitioribus
 conſiliis flecti poteſt, vel alloquio per interpre-
 tes populo gratos, vel generali diplomate con-
 donando culpam, vel dividendo factionem, vel
 denique, quod factu acerbius eſt, authores per
 quemvis, oblato præmio, opprimendo, aut ar-
 mis adhuc imparatos ſubjiciendo; nam ſi moram
 neſtas, ignavia adultam reddet ſeditionis auda-
 ciam, ægre demum ſine discrimine infringendam.
 Salamandra non niſi adveniente majori imbre
 compareret; perinde nonnulli dum virtute excelle-
 re nequeunt, ex conturbatæ Reipublicæ tempe-
 ſtate fulgere geſtiunt, adverſus hos potentiora
 remedia judico adhibenda, bello tandem certan-
 dum, ſi obſequium detrectent, excindendi pro-
 ſus, qui ſupra privatam fortunam ſe extollendo
 ſolium appetunt, iis nunquam ſpatium præhiten-

di concedendum, secus sceleri accrescent vires; neque resipiscunt, sed moras captabunt, ut amplius turbent Rempublicam, ac cupiditati suæ servitura conquirant auxilia.

Intestini vero motus e causa Religionis enati, plerumque diurni, & Regnantibus exitiosi sunt; quoties enim tempestas hæc, aut eidem suppar orta est, toties una Principum auctoritas summo in discrimine versabatur; nam simulatque ex Religionis zelo amplius subditi suæ confidunt causæ, æctutum omnia audebunt in suos, legem dabunt Legislatori, obsequiumque præstare abnuent Imperanti. Maeste animo, mi Princeps! quanto acerbiora Tibi ex Religionis seditione pericula imminere videntur, tanto majora e Cælo futura præsidia scito. Crede, confide. Non est abbreviata manus Domini. Illud Te ad extremum monitum volo, ne Regni quietem turbantibus desperationem injicias; postquam enim salutem despondebunt, exitii solatia quærent,

comitesque mortis ; audebuntque omnia , qui sperant nihil. Si auctores vel prosperis elati , vel metu suppliciorum , ad officium reduci nequeunt , inter ipsos quietis turbatores discordiam ferendam esse arbitror , ut , scissa animorum concordia , vel inviti ab inceptis desistere cogantur. Hac ne eveniant , fac , omnem agendi rationem ad æquitatis leges exigas , plusque Regni , ac civium felicitati , quam tuæ studere videre.

COROLLARIUM IV.

Eos duntaxat ad dexteras Aulas mittendos judico, qui muneris sui partes cum laude expleant.

Si qua in re Principi vigilantia opus est, profecto in Legatorum delectu; ii enim oculi, & aures Regnorum sunt, quorum jus apud gentes quoque immanitate barbaras, moribus incultas æquum juxta, atque sanctum omni semper tempore est habitum; quamobrem Regnantes omni contentione enitantur, ut idoneis Viris suam Personam, authoritatem, ac negotia apud exterarum nationes committant; Imperantis enim vices gerit Legatus alieno in Regno, hujus nomine auditur, & audit. Et quemadmodum Principes providere oportet, quorum fidei Regum hoc munus concedant; non secus ii, qui mittuntur, proprias periclitentur vires, ne maximum onus imparibus viribus subeant. Quanti

hac in re contraxerunt vitium, qui contra, atque necesse fuit, sua defuncti sunt dignitate, ut sui contemptum cum Regni incommodo conjunctum demum apud alios pepererint.

Tum fecus voluntatem Principis si quid egerit Legatus, quantumvis optimum, improvidi notam non effugiet; hujus enim est excipere, ac exequi mandata; illius vero statuere, ac jubere. In dubiis, si tempus suppetit; Principem suum consulat; occasiones tamen perutiles præterlabi non sinat. Liber sit animo; non anxius, cum primis ubi res connexæ sunt cum mandatis sibi commissis. Unus utrique animus, una vox, unus sonus sit oportet, ex quo arguere licet, nusquam debere Legati, & Regnantis sensum discrepare, duas quippe sustinet is personas, suam, & Principis; in publico illam exuat, & Regis induat. Cæterum gentis, apud quam degit, moribus, cærimoniis, titulis se accommodet, quantum licet, & expedit, In Religionis

negotio Patrios mores præ aliis observet, nec mutet.

Demum res Legationi proprias verbis depro-
mat; sibi vero promissa scripto excipiat. Quod
autem pollicetur fore, ita adjungat fidem, ut
Principi suo facilis pateat, si opus sit, evasio.
Videat quoque, ut secretorum sit tenax, tuto-
que agat omnia, ne spe eludatur sua, quin po-
tius fallere volentes fallat; eam ob causam co-
gitationes, quas mente concludit, quam studio-
sissime celet, ut sublesto quodam agendi modo
occulta quoque ex aliis eliciat consilia. Nonnun-
quam multo utilissimum censeo, modica pandere,
ut in maximarum rerum deveniat notitiam; ve-
rum caveat cassem, ne quem perquam meditate
sruat, eodem ipse capiatur, Legationis vero
seriem, & mandata nemini judico exponenda,
præterquam ei, ad quem mittitur Legatus; quin
plurimum quoque nosse interest, ne tempore
non suo adeat Regnantem; secus tantum abest,

ut optatus voluntati respondeat effectus, ut opinione sua deludatur etiam; quamobrem longe fatius foret opportunam succupari occasionem, quam ex voto non agere, ut enim inveniet Principis animum, perinde favens nanciscetur responsum. Aliis intentum, negotiis obrutum, festinantem, accedat nunquam.

Supereſt jam, ut paucis diſſeram, quid præſente Principe Legatum agere tum deceat, tum oporteat. Profecto plurimum ab obtinendo ſine aberrabit, ſi eam a natura fortitus eſt indolem, ut, conſpecta Majeſtate Regia, terrore quodam percellatur, ne eo, quo par eſt, modo res fidei ſuæ concreditas exponere valeat, præſens ſibi ſit, ac una illa duntaxat, quæ Legationis ſunt, depromat, nec addat, nec demat in ſubſtantia, quantumvis nonnulla meliora viderentur; obſequium volunt Imperantes, non arbitrium, apud hos ſicut negotiorum ſumma, ita Legato maxima habenda eſt cura, qui ne muneri deeſſe videatur

deatur suo; sit cautus, sagax, promptus, totus pro Principe, cujus vices agit. Neque arcana instructionis exteris Ministris pandat, quin potius occultis viis mox certioŕem reddere super iis Regnantem satagat, quæ adversus eum tecto animo adversarii moliuntur, quem in finem multo utilissimum fore existimo, ut exploratores multo etiam ære alat, ac foveat, quorum callida arte longe plura, quam voluerit, vixque, pauciora, quam debuerit, cognoscet.

Postremo caveat, ne reorum exemptioni, eliberationique se immisceat, cum non videatur immunitas Legatis concessa in ruinam Reipublicæ, aut in scelerum defensionem. Quod si ii ipsi hostilia moliantur, aut in crimine læsæ Majestatis deprehendantur, characterem Legati violant, pœnis obnoxii, ut privati, ea de causa consultius est, actutum eos cum querimonia ad suos remittere. Neque illud silentio prætereundum censeo, ut, siquam Princeps injuriam im-

minere suis Legatis metuat, tamdiu alterius Regnantis obsidum instar detineat, donec apud alium suis consulatur. Quare, mi Princeps! necesse haud est, pluribus ut contendam, quanta vigilantia sit opus in delectu Legatorum, ut personam Tuam pro dignitate sustineant, quos non modo genus, sed & facundia prudentiæ conjuncta commendet, iisque fulgeant dotibus, quæ in Viris Regno duntaxat gubernando idoneis reperiuntur.

Opes publicæ plurimum conferunt ad felicitatem Regni.

T H E O R E M A.

Si Regnum opibus laboret, tantum abest, ut felicitati suæ consulat, ut in perniciem præceps ruat necesse est.

Multi in eam inclinant sententiam, ut contendant, opes hominibus non mediocri exitio esse; eam ob causam Plato sua e Republica aurum exulare voluit, cujus opinioni Chrypsippus, ac Diogenes subscripserunt, existimantes, vim quamdam inesse debere opibus, animos corrumpendi. Accedit longus rerum usus, quo docemur, arduum prorsus, & factu perdifficile, ut integritatem mentis in divitiis, quæ effuse affluunt, homines conservent. Lycurgus cur interfectorum cadavera spoliari inhibuerit, causam

reddit: ne milites divites effecti corrumpantur, minusque fortes evadant. In egestate populus Romanus victor gentium fuit, demum victus suis tum vitiis, tum armis, dum ampliore abundavit re familiari. Magnæ enim fortunæ quærunt exitium, quæ multis attulere mortem, quiete vero omnes privarunt. Non opus est exemplis, cum eorum plenas videamus historias; nihilominus nisi Regna ingentem vim pecuniæ cogant, tantum abest, ut militiæ legendæ, resistendo hostibus, finibusque Patriæ tuendis paria sint, ut victas quoque manus dandas existinem; quamobrem opes Reipublicæ causa expetendas censeo, cum in his sita sit omnis potentia, nervique belli non abs re habeantur.

Frustra igitur Imperans aciem ad campam educet, frustra robur virorum adversariis objiciet, si ære ad alendum exercitum necessario laboret, quin ipsa caritate rerum ad deditionem vel invitus flectetur. Non commemoro armo-

rum apparatus, taceo militaria stipendia, silentio prætereo præmia, quibus ad ardua quæque hominum animi accenduntur. Quare necesse est, ut Princeps rebus omnibus antevertat, ne pecunia exhaustus alieno subsidio non tam victoriam, quam pacem mercari debeat; quid enim tot Regulos, quorum seriem pertexere longum foret, vestigales fecit? Quid tot capita diademate cincta illorum mandatis obsequi coëgit? Profecto haud aliud, atque vacuæ domus ærariæ, quæ nec conservandæ Regnantis dignitati, nec salutis civium, nec tranquillitati Regni prospicere valebant.

Quamobrem, mi Princeps! ut munere tuo cum laude defungaris, cave, sumptus seu in itinera minus utilia, seu pompam jactandi tui causa feceris; verum satagas potius tantum congregare opum, ut aliis quoque Potentiis Te reddas metuendum, quibus non id contendo, ut populum curæ tuæ subjiciendum justo majori tributo

opprimas, iisque exhaustis, Tibi duntaxat divitias colligas; eo enim pacto Te non modo Patrem Patriæ; sed ne Regem quidem præstares. Ad extremum nolim, congregandæ pecuniæ admodum addicas animum, ut in iis felicitatem reposuisse videare; secus memoriam tui feræ posteritati transcribes quidem, sed non cum honore alendam. Ex his concludas oportet, quantum ad conservandam Regni salutem interfit, opes publico servituras eo, quo par est, modo cogere.

EX QUO ORITUR.
COROLLARIUM I.

*Opes cum primis Regni conservandæ causa expetan-
tur; quia in his majorem felicitatis partem si-
tam esse novimus.*

Permulti in dubium trahunt, utrum satius sit, Rempublicam, an vero cives divites esse? Posidonius ab ea stetisse videtur sententia, ut præ his illa divitiis circumfluat; verum, mihi Princeps; si in meam opinionem concedere velis, author, suaſorque ſum, ut non ſecus incolas, atque Regnum conditioni congruæ commendent opes. Quantæ autem civibus, & privatis viris expedirent divitiæ? ſciſcitabatur aliquando Plato, cui ſingulari ingenii ſui commendatione reſpondit Ariſtoteles, tantæ nimirum, quæ nec inſidias parerent, neque rerum neceſſariarum inducerent inopiam. Quod igitur ad vitam priva-
tam

tam attinet, non nimias, sed mediocres habendas statuit Lycurgus cum Stoicis Philosophis. Vide autem, ne illæ tuæ non sint, sed tu illarum; vide, ut illæ tibi serviant, non tu ipsis; multo enim plures sunt, qui habentur, quam qui habent, multo crebriores, quos Propheticus capit Spiritus: viros divitiarum, quam divitiarum virorum. Aurum, & argentum, ac cætera hujusmodi naturæ dona, nec bona, nec mala esse censeo, usus horum bonus, abusus malus, sollicitudo pejor, quæstus turpior,

Felix profecto, cujus animum divitiæ in transversum non agunt, quod probe noverat Lyfander; cum enim tyrannus quidam Siciliæ pretiosas vestes cum aureis donis filiabus ejus misisset, vetuit Pater, ut acciperent; dicens: nolite capere, ne capiamini. Alcámenes vero a quodam rogatus, qua de causa à Messeniis oblata munera recusasset? Quoniam, inquit, si recepissem eorum amore illectus, cum legibus pa-

cem colere non poteram. Philippus Macedo dum castrum quoddam obsideret natura admodum munitum, ut nullus eo patere videretur accessus; Rex exploratores allocutus fuisse fertur: an asellus pecunia onustus par foret penetrando? quibus annuentibus; mox reposuit; vicimus ergo. Quamobrem firmo animi robore opus est, ne divitias habendi cupido virtutem in homine extinguat, quo facto, Regni quoque salus in summum adducetur discrimen. Quis enim quietem omnis periculi securam ea in Regione sperabit; in qua, spretis æqui, honestique legibus, incolæ rei duntaxat familiari promovendæ plus nimio student, in qua primas luxus, postremas vero Patriæ felicitas obtinet partes; in qua infimæ quoque fortis vestium ornatu iis se faciunt pares, quos tum genus, tum dignitas a cæteris distinguit; in qua cives nulla tangit Patriæ cura, quamvis omni suo splendore exuatur, quæ tamen eosdem non modo alit, sed fovet etiam.

Tantas autem, ait Stagirita, Principem, & Regem opes possidere debere, quantæ ei tuendo, & conservando sufficiunt. Divitiæ, & paupertas, antiqui, & magni Reipublicæ morbi! divitiæ, inquam, nimix in hominibus privatis, quæ cives in vitia agunt præcipites, & tristes invadunt seditiones. Paupertas Reipublicæ, qua hostibus est ludibrio, suis vero contemptui. Ex rerum usu plerumque accidit, ut, quæ pecuniarum defectu remota adhuc pericula averti non poterant, incumbentibus demum malis, desperato remedio, facile obruerint Rempublicum. Qui primus pecuniam rerum nervos dixit, is præcipue ad bellum respexisse videtur. Nemo enim virtute, vel fortuna res memoratu dignas unquam bello gessit, si eum, licet artibus militibus apprime instructum, æs prælio administrando necessarium reseruerat. Non abs re igitur requiro opes, quas Regni conservandi causa cumprimis expetendas iudicó, cum in iis po-

forem Patriæ felicitatem sitam esse noverimus.

COROLLARIUM II.

Multo satius est pecunia, quam armis bellare.

Nemo est, qui belli effectus non metuat, non detestetur ejus memoriam, quo, vastatis campis, solo æquatis Urbibus, cæsis innumeris civibus, occidentis Regni fortuna exulare cogitur; non ætati, non generi parcitur, ipsa infantium corpora vix vulneribus maturâ e cunis non raro ad lanienam abstrahuntur, neque tantæ cædis satietate hostium capitur furor, qui vulneribus gloriantur, funeribus vivunt, sanguine nutriuntur. Ah persæpe multo cruore Marti jam litatum est! mitiorem, mi Princeps! indue animum, & scito, multo consultius fore, pecunia, quam armis bellare, longeque facilius auro, argentoque hostes, quam ferro, & viribus, in

ipso

ipso prælii discrimine sustineri posse; eam ob causam memorem Te esse velim moniti Philippi Macedonis: hastis pugna argenteis; & omnia vinctes; nihil enim usque munitum; quod pecunia expugnari non posset. Fertur Atalanta Jæsi Regis filia, quæ dum rara corporis velocitate cæteris præstaret, cursus certamen proposuisse, in quo victus mortis pœnam; victor vero conjugii sui præmium obtineret. Pluribus jam devictis, Hippomenes denum ad certamen pari animi magnitudine descendit, qui, ut ea superior evaderet; sublesta usus arte secus stadium mala quædam aurea projiciebat; tum Atalanta auri cupiditate illecta, interrupto cursu, ad ea colligenda se convertit, sub id temporis præcurrens Hippomenes, hoc adhibito stratagemate, palmam reportavit.

Ex quo arguere licet, quanta vis opibus insit, quibus hostes, posita rabie, mutuo junguntur fœdere, Heroum quandoque animi us-

tant, constricti Regni limites augeantur, ac dilatantur. Quamobrem, mi Princeps! divitias duplici nomine colito; ut gravi periculo Te, & Regnum expedias, tuisque ut parcas, ac succurras. Omnes autem opes, quibus Patriæ consulitur, profluunt e tuis, ac per tuos; fontem hunc aperiunt civium, & subditorum viscera, ex illorum re familiari abundat ærarium; illorum sudore nutriuntur Magistratus, Nobiles, Milites, ipsique Imperantes, illorum labore sustentur cuncta incommoda Reipublicæ. Ubi ærarium admodum tenue est, ut conservandæ Regni felicitati impar pene videatur, ibi rerum gerendarum basis deficit. Quare illud necessario habendum est pro magnitudine Provinciæ, & ceptorum consiliorum ratione, copiosum, & locuples.

Præter ordinarium, quod publicis sumptibus est destinatum, aliud quoque ad calamitates sublevandas servari in quavis Republica oportet, idque teste Thucydide, de usu omnium antiquo-

rum Regnorum, nec abs re; ære enim cuncta fieri, ære quæcunque agi, tum domi, tum belli, citra dubium est. Cui enim nascens Respublica Romana splendorem, cui majestatem, ac tam amplas Provincias, quas demum complexa est, in acceptis retulit, quam immensis opibus, quibus hostes terrore complevit, socios firmiore necessitudine sibi junxit, nomen denique immortalitati alendum transcripsit. Profecto nunquam adversariorum cresceret audacia, nunquam victricia arma alienis inferrent Regnis, nisi exhausta belli subsidia iisdem subolerent. Quamobrem, mi Princeps! rebus omnibus antevertas, ut in ærario publico ingens vis pecuniæ minime desideretur, quod lienis instar intueor; nam ut in liene crescente, humores vicinis in corporibus deficiunt non secus ad illud plenum reddendum necesse est, ut subditi suas conferant vires; ea tamen ratione, ne prorsus vitæ mediis destituantur.

COROLLARIUM III.

*Odit communis salus eos Pastores, qui nesciunt
oves tondere, sed deglubere.*

Omnium iudicio improbi Reges censendi sunt, qui in Regno supremum duntaxat in omnes dominium meditantur, & qui se non civibus datos existimant, sed sibi cives; nam quemadmodum sidera eo sine prædita sunt splendore, ut usibus mortalium deserviant; non secus Principes dignitatem quidem indepti sunt, verum cum munere de aliis bene merendi devinctam. Quamobrem celebrat antiquitas Tiberium, & Marcum Aurelium Imperatores, quorum alter consulentibus, ut recens subjectæ civitates majora penderent tributa, respondit: olitorem odi, qui cum radice evellit olera, ac si dixisset: penas non esse admodum incidendas, ut renasci nequeant; nam, qui nimis emungit, elicit san-

guinem; alius vero suadentibus: onerandas solvendo ære Provincias, rescripsit: boni pastoris esse, tondere oves, non deglubere. A quorum sententia abluere prorsus non videtur illud pessimis quidem Principis assertum optimum: adulterinum est aurum, quod ab exhaustis subditis contra, atque æquitas exposcit, corraditur.

Tributa quidem omnium gentium jure, & usu fundata, ac firmata sunt; nihil tamen libertati perinde contrarium, atque si ea nimia sint, viribusque incolarum imparia; quin si Imperans augendo lucro admodum intendat animum, ut res quoque sordidas, ac minimas solutioni subjiciat; haud dubie fame illa auri ingens sui odium apud omnes pariet, neque ulla unquam ætas eam maculam est abolitura. Nemo autem in eam me concedere velle sententiam arbitretur, ut onera quæque improbem; non enim me latet, ob labores, qui in Republica gubernanda, exigente ipsa necessitate, perferuntur, imponi oportere;

tere; nam neque quies gentium sine armis, nec arma sine stipendiis, neque stipendia sine tributis haberi queunt; sunt enim pecuniæ rerum gendarum nervi, sunt ornamenta pacis, & subsidia belli; verum ne quipiam dominandi libidine, & divitias cogendi cupiditate abrepti omne studium ad explendam suam voluntatem conferant, neque ad pascendos, sed opprimendos populos; eam ob causam Ptolomæus Lagi filius dicere fuit solitus: Principis munus esse, opes eorum, quibus imperat, augere potius, quam minuere, ipsosque non onerare, sed sublevare debere; quin finitimæ Provinciæ hostibus, periculisque expositæ, tributa nec ferre possunt, nec pendere volunt, quod olim, cum secus ageretur, Frisios, & Illyros subtraxit Romano Imperio.

Non mediocriter quoque perstringit hominum animos, si justo graviora imponantur vestigalia, quibus commercia aut negliguntur, aut ægre admodum exercentur, iisque destituti civium plurimi ad

extremam pene deveniunt pauperiem. Errant citra dubium, qui existimant, publica araria augeri solito majoribus tributis; nam liceat ex iis aperto pectore sciscitari: utrum, exhausto arario, homines jam inopes, are alieno preffi, omnique rem familiarem augendi succiso remedio, pares futuri sint pecuniæ dandæ, Regnique necessitatibus subveniendo? Profecto insolitis oneribus, quibus Principum curæ concreditus populus frangitur, tantum abest, ut Patriæ felicitati consulatur, ut extrema potius egestas, longaque inducatur calamitas. Si, o mei Regnantes! Themistocles eritis, & pro exigendis tributis comitem fueritis nacti eloquentiam, & violentiam, cogitate vestros subditos Andrios esse, qui, ne vestro subscribant desiderio, duas perinde habere focias: paupertatem, & impossibilitatem, hæc in contumaciam, illa in desperationem prolabitur, nec abs re; pauper enim dare nequit, eorum vero, quæ factu possibile non sunt,

sunt, nulla est obligatio. Horret animus, dum memoriam repeto tot seditionum, convulsionumque Provinciarum, quæ a prima tributorum institutione ad hæc usque tempora enatæ sunt; nullum sane Regnum est, quod iisdem commotum non fuisset. Quid enim amplius periculum creare potest, atque populi furor, qui, amissis rebus, nec ad pericula pavet, nec vivere æstimat.

Optima augendarum publicarum opum ratio est, ipsa parsimonia Principis, administratio recta bonorum Coronæ, luxus publici, & privati abolitio, libertas commerciorum, diversarum artium instauratio, moderatio fæneratorum, integritas monetæ, & conservatio pacis. Multum quoque conducet ad promovendum ærarium, si Principes Marci Aurelii exemplo ducti relegatis ab aula adulatoribus, parasitis, histrionibus, saluti duntaxat suorum prospecturi fecerint sumptus; ægre enim fert populus, animique vulnus

toties recrudescit, quoties pecuniam suo labore, sudore, sanguine partam rebus impendi conspiciit utilitati minus servituris. Dolori perinde est, tollere omnibus, & dare uni, vel paucis, qui amplius Regnantis relaxando animo, quam Patriæ commodo student. Quamobrem, mi Princeps! omnibus viribus contende, ut Regnum administrando tuorum lucreris amorem, neve illos plus nimio premendo abs Te abalienes; secus jugum, cui ferendo impares se fore existimabunt, excutient; eorum enim auribus aspera, animisque infesta vox est, tributorum non ad æquitatis leges exacta solutio. Et quemadmodum pastoris interest, noctes in subsidium dierum vocare, ut congrua ovibus inveniat pascua; perinde Tu, ne muneri tuo deesse videare, salutem populorum invigiles oportet; quo pacto singulorum admodum Tibi devincies animos, ut vitam tuam proprio quoque redimant sanguine.

COROLLARIUM IV.

Enitatur Princeps conatu, quam potest, maximo, ut puros ab omni fraude Viros ævariis præficiat.

Si quæ res singularem Principis exigit vigilantiam, profecto hæc, ut eos duntaxat administrandis publicis ærariis admoveat, quos integra fides, longo rerum usu probata, commendat; pecunia enim tantum sui amorem persæpe injicit hominibus, ut, qui aliis vitiis invicti videntur, huic victas dare manus, religioni sibi non ducant; accidit nonnunquam, ut quidam, necessitate premente, ad rem suam familiarem augendam ære non suo fuerint usi, voluntate quidem illud post paululum refundendi, ne furti agantur rei; alios vero eo audaciæ fuisse prolapsos accepimus, ut ad cogendum amplius lucrum, publica pecunia fœnus exercere non hor-

ruerint, quorum nonnulli faventem sibi indepti sunt fortunam, alii justas sceleris sui luerunt pœnas; quin haud pauci, ut Regnantis iram, quam sublesto agendi modo in se provocarunt, effugiant, opinione citius fuga salutem aut consuluerunt, aut legi naturæ adversantem, sibi inintulerunt mortem. Quamobrem pecuniâ cum admodum periculi sit plena, rarius, rarisque eam contractandam censeo manibus, quo pacto minus inquinabit animos, & non facile lædet publicum.

Regem enim non dedecet quandoque pecunias abs suis rationibus insertas ad crîsim exigere, quas primus olim orbis Monarcha Augustus, quo, nemo nec amplitudine Imperii, nec abundantia rerum major fuit, annis singulis perlustravit, ne in eas vitium quoddam subrepat. Non levi igitur se obstringunt crimine Principes, qui publicas subditorum opes vel unius administrationi, quin censuræ subjaceat, vel pluribus sine

delectu committunt. Profecto exigit munus hoc Viros fraudis omnis expertes, tantæque ætatis, cui parsimonia non tam idonea, quam innata videtur. Nimis potentes, locupletes, vereor, ne sine periculo huic dignitati sufficiantur; quemadmodum & inopia magna laborantes; hos ad furandum ipsa tenuis domestica stimulabit supellex; illi vero præscripsisse se putant, quasi non egerent, cum maxime rapiunt. Medios velim eligat Imperans inter magnas divitias, & communem pauperiem Viros; sed cumprimis eos, qui in privata præluferunt vita, quid acturi sint in publica: nam qui suam domum pro eo, ac debet, non gubernat, nec reget unquam majori cura alienam, aut publicam.

Eam ob causam Philippus Macedo integritate duntaxat fidei conspicuos in partem curarum adlegit, qui non auro ducebantur, sed æquitate; qui non suæ, sed Regni, ac Principis comodo prospicere satagebant; quare si quempiam

secus agere observavit, actutum eum munere, quo functus est, exui iussit; multo enim fatius iudicabat talem præmature a dignitate amovere, quam publico gravius infligere vulnus; cui mendo haud scio, an plures quoque anni pares exstitissent. Quem in finem, mi Princeps! consultum foret, nemine opinante, Præsides rei arriæ non raro adire, pecuniamque curæ eorum concreditam in accuratum revocare calculum, qui si cujuspiam convincantur fraudis, mox gravior in eos statuatur pœna, ut cæteri, viso justitiæ exemplo, a scelere, ne eidem innutrientur, abstrahi queant; nihilominus cave, in puniendo clementiam exuisse videare; secus agre admodum reperies, quem huic demum præcias dignitati; non enim vanus cuilibet injicitur metus, ne errore culpæ minus obnoxio honoris juxta, atque vitæ jacturam subire cogatur. Cæterum quid porro agere Te oporteat, Regni administrandi ratio amplius edocebit, si eo, quo

par est, modo rebus singulis intenderis animum.

Perquam necessarium est, ut non Princeps a Regia dignitate, sed Regia dignitas a Principe suum mutuetur splendorem.

T H E O R E M A.

Cum Regnans non secus subiecto sibi populo, atque Sol orbi universo lucere debeat, opus est, ut iis instructus sit virtutibus, quibus omnium amorem in se rapiat.

Virtutem, singulorum licet intersit, inferere animo, qua se muto ad mores Christianis legibus conformes accendant; nihilominus haud scio, an ab ullo majori jure, amplioreque ratione id exigatur, atque abs eo, quem ad summum dignitatis apicem evexit virtus comite fortuna; nam quemadmodum heliotropium solis cur-

sum imitatur, non fecus populi instituendæ vitæ regulam a Principis agendi modo mutuantur. Absit igitur, ut is ab legis præscripto, recedat, ne pravo exemplo natio curæ suæ concredita corrumpatur; hæc enim est Imperantis conditio, ut quod ipse facit, id aliis præcipere videatur; & hoc plebis ingenium, ut magis oculis, quam auribus credat, & amplius exemplis vivis, atque mortuis excitetur; eam ob causam fera posteritas cum laude alet Basilii Imperatoris ad Leonem filium monitum: sicut cæteris prælatus es, ut omnibus imperares, ita pari studio contende, ne virtute iisdem inferior evadas, contra si egisse videare, Imperatorem quidem te fore noveris, sed in eo, quod minoris excellentiæ est; in eo vero, quod multo præstantius, Imperatorem te cave judicaveris, quin sub alterius imperio constitutum.

Ut autem singularem sui opinionem Regnantes aliis pariant, se in eccellente quadam virtute continuo exerceant oportet, ut homines ipsa admiratione suspensi teneantur. Profecto decet Principem, subditos anteire non vita deside, & laborum experte, sed qua suorum felicitati provideat, omniaque pro communi salute lubens subeat. Sat, ut opinor, distinet Imperantem tam belli, quam pacis artes, nec unquam deest bene agendi occasio, qui non sibi, verum omnibus vivit. Quæ enim ex otio gloria? Quod ex gynæcei desidia decus venit? Omnia laude digna Dii laboribus vendunt. Et quemadmodum rebus a Regio munere alienis innutritum nemo æstimat, nemo veretur; ita vario virtutum decore excultis omnia cedunt, omnia affluunt, omnia eorum explent voluntatem. Quare nisi Potentia fulciatur, ruinæ proxima fiet quævis Majestas, & ægre admodum fugientem suam fortunam revocabit; vanæ namque sunt sine viribus iræ, & fragile

folium, quod non sustinetur ab fociis fœdere junctis, vel divitiis, vel armis, vel denique his omnibus mutuo inter se firmiter nexis.

Multum itaque refert, virtutibus probe instructum esse, quas majori præsidio fore judico, atque cujusvis militiæ robor; illæ enim populi amorem in se rapiunt, illæ arctissimo vinculo sibi animos uniant, ac devinciunt; a recto autem vivendi genere simulatque Imperans defleat, actutum amori succedet odium, contemptus excipiet venerationem. Nam magna fortuna habet hoc sibi proprium, ut nihil tectum, nihilve occultum patiat; qua de causa Plutarchus dixisse fertur: sicut maculæ amplius dedecus faciei, atque reliquis corporis partibus creant, perinde minima quæque superiorum errata sub oculos cadunt, justæque subjiciuntur crisi. Vide igitur, mi Princeps! ut dignitati, qua cæteris præstas, paria virtutum decora jungas, quibus tuorum lucreris animos; nulla enim re promptius ex iis

elicias obsequium, atque si eum sibi dominari intelligant, cujus ipsum Nomen laus maxima, & qui Regum exemplum sine exemplo dici ex vero possit.

EX QUO SEQUITUR.

COROLLARIUM I.

Princeps in omnes sit affabilis; hac enim animi dote non modo cuncta abs suis impetrabit, sed plurima quoque avertet mala.

Certus sum, Principem nulla re amplius se in animos hominum insinuat posse, atque si dignitatis suæ quodammodo oblitus ad omnes se demittat, eosque singulari complectatur comitate, quæ virtus apud summos, & imos quamvis non eadem, eosdem tamen parit effectus, amorem videlicet universorum, & benevolentiam. Reciprocus affectus amor est, amat hic, & redamat, nec scit amare, nisi amatus. Quam-

obrem Imperans, qui se affabilitate alloqui, suavitate morum singulis communicat, desiderium sui omnium pectori admodum inferit, ut nunquam ex animis hominum ejus effluat memoria. Carolus V. inclinatione capitis milites Hispanos sibi conciliabat, Italos leni humerorum tactu, Germanos porrectione dextræ ad osculum, omnes innata Austriacis affabilitate. Delicium is suorum fuit, & tamen terror hostium, ubique ectypon Regii decoris; comitas enim non minuit reverentiam, nec conditionem extenuat; non generat contemptum, nec creat odium; non tollit æstimationem, non obsequium subtrahit; nam affectu vincit affectum, qui nescit obsequi, nisi ex amore, nec revereri, nisi suaspte natura.

De Cneo Pompejo Romanæ eloquentiæ Patrens scribit, adeo faciles aditus ad eum, ita libera querimonias de aliorum injuriis fuisse, ut is, qui dignitate Principes anteivit, facilitate par infimis esse videretur. Neque silentio præ-

tereundum esse judico Trajanum, de quo Eutropius refert, is, cum ab amicis nimiae benignitatis argueretur, respondit: talem se esse velle Imperatorem privatis, qualem Imperatorem privatus optaret. Digna profecto miratu sententia, digna imitatu! ad quam Regnantes suum exigant agendi modum. Multum itaque a vero aberrant, qui in eam abeunt opinionem, ut dicere non vereantur, lenitatem sermonis Regiae adversari dignitati, hi male sibi conscii metuant, ne arrogantiae infimulentur; cujus nihilominus notam effugere nequeunt. Tarquinius omnibus pene vitiis irretitus fuisse dicitur; superbus tamen duntaxat appellatur; quia populus magis abhorret ab elato, & tumido Principe, quam improbo. Non pauci alii Romanorum Imperatores paria, aut majora etiam contraxerunt scelera; nemo tamen adeo plebis odio expositus; quia nemo ob animi tumorem eidem perinde invisus erat, atque is, cujus paulo ante meminimus.

Pluribus superfedeo, cum ex his ipsis, si æqui arbitri personam sustinere velis, mi Princeps! facile conjicias, quanto usui; quantoque commodo sit aperta in omnes comitas, quæ sæpe numero multorum occidentem fortunam non modo sustinuit, sed erexit etiam, ac pristina restituit felicitati. Et sane rationi consentaneum videtur, affabilitate præ aliis fulgere; nam ii, queis imperia das, subditi licet sint, homines tamen una permanent, a quibus dignitate duntaxat differs, non natura; indignum igitur foret, si eos benevolentia non complectereris, non foveres charitate. Repete tantisper Veterum memoriam, actutum intueberis, quid Te agere par sit, & ne singulos in memoriam revoces, Abfolonis velim memineris, is afflictae fortis homines præ foribus Regiis præstolans excipiebat benigne, ut sui demissione facilem sibi pararet aditum ad Paternum Solium, cujus fundamentum, & unicum rerum gerendarum præsidium

comitatem esse judicavit. Non abs re igitur hanc virtutem in Regnante requiri oportere existimo; nam ea comite non modo cuncta abs suis obtinebit Imperans; sed plurima quoque avertet mala, quæ secus Patriæ saluti admodum officerent, ut ægre duntaxat iis avertendis parem se exhiberet.

COROLLARIUM II.

Princeps comitati munificentiam adjungat; nam multo magis beneficiis, quam armis salus Regni custoditur.

Vocem, vultumque affabilis Principis liberales excipiant manus necesse est; voluntas enim de aliis bene merendi sine operibus, tantum abest, ut laudem pariat, amoremque conciliet, ut non levem inurat eidem maculam; nam quæ in Regnum utilitas, quod in plebem commodum redundabit? Si virtutis hujus effectum

non sentiant, non experiantur. Quamobrem Alexander Severus eam primam, & peculiarem Imperantium dotem nuncupare solebat, qua si qui careant, ægre adduci possum, ut credam, ipsos Principis nomine dignos esse, nec abs re; qui enim rerum potiuntur, munificentia populorum benevolentiam sibi maxime conciliant, Regnumque longe acrius; quam armis tuentur. Quod cum optimos Principes minime lateret, illud dies, noctesque cogitabant, quo pacto suorum animos donis sibi devincirent, ac diem illum, quo non aliquem munere affectum dimississent, sibi met periisse existimabant; quemadmodum præ cæteris de Tito Cæsare, ac Trajano Imperatore, aliisque plurimis historia loquuntur.

At vero quamquam Regnantes liberalitatis nomine tantopere commendentur; evenit tamen sæpe, ut ea ipsa admodum abutantur, ut in ore hominum non cum laude, sed vituperio versentur. Profecto ii, qua in re virtus hæc Impe-

rantibus cum primis propria sita sit, minime intelligunt; alii enim in venationibus, ac ludis pecuniæ magnam vim profundunt; alii in superbis extruendis ædibus, aut conficiendis itineribus publici ararii opes infumunt, atque disperdunt; verum falluntur; teste enim Tacito: perdere multi sciunt, donare nesciunt. Ne itaque a recto vivendi genere deflexisse videantur, curis omnibus antevertant, ne aut avaritiæ vitio laborent, aut divitias profundant Patriæ commo servituras. Liberalitas nec injusta rapit, nec prodigit necessaria; qui enim multis donat, non multum donat; & qui multa donat, non diu donat; nam quemadmodum aquæ in plurimos rivos divisæ, labente tempore, exhauriuntur; haud secus Imperantium justo largior manus arario officit, Regniq̄ue conservandæ salutis minus consulit, ut, nascente gravi necessitate, subsidii inops alieno ære se obstringere cogatur.

Medium igitur teneant oportet, ne, dum
 jacentem suorum fortunam erigunt, Regni felicitatem præsentem exponant periculo, qua ratione
 populi lucrabuntur amorem, seque quasi Deos reddent hominibus; Divinum enim est dare, humanum accipere. Alcamanes Teletri filius cui-
 dam percontanti, quo pacto Imperans Regnum diu conservare posset? Si lucrum, respondit: non magni fecerit, & subditorum commodis enixe studuerit, quem prodeuntem velut beneficum inter gestientis animi signa excipiant, inter amorem, timoremque medii, & alternis judiciis ambigentes, Dominum salutent, an Patrem? Quem in finem Alexander Magnus, cum audiret milites sui exercitus a re alieno esse oppressos, publico edicto singulis notitiæ dedit, ut quotquot forent creditores, chirographo ostenso, de proprio ejus ærario solutionem acciperent; verum dum creditores perinde, atque debitores, verbis Regiis parvam adhiberent fidem, nullusque pro

soluione pecuniam postularet, mox Alexander ante fores palatii sui decem millia talentorum exponi jubet, tum actutum omnes adeunt, ut Regia liberalitate fruereutur, qua benignitate omnes sibi conciliavit. Quamobrem, mi Princeps! scito præcipuum Regni robur esse, civium amorem, qui multo facilius præmiis, & favore, quam pœnis, & severitate reguntur, ac gubernantur; hoc enim modo non vincuntur duntaxat, sed vinciuntur quoque subditorum animi.

COROLLARIUM III.

Ad lucrandum populi animum multum conducet clementia, quæ suorum non sitit sanguinem, & si quandoque tonet etiam, non tamen semper fulminat.

Cum nihil ad flectendos mortalium animos perinde accommodum, atque clementia videatur, æquum censeo, ut præ aliis hac virtute Principes fulgeant, qua comite, haud opus est, se altis mœnibus, turribusque ut sepiant; periculi enim securos in aperto quoque eos clementia reddet. Ad hanc rem apposite faciunt aurea verba Demosthenis ad Alexandrum Regem: Nulla de virtutibus tuis, licet multæ sint, vel gloriosior misericordia, vel admirabilior clementia, nec alia re propius Diis accedere potes, quam si salutem conferas hominibus, vel dando, si eguerint, vel parcendo, si deliquerint, vel in-

dul-

dulcendo, si supplicaverint. Novimus, faviente diluvio, omnes arbores aquis fuisse sepultas, e quibus præter ceteras oliva clementiæ symbolum sua explicuit folia, quam columba suo Domino Noëmo novum mundi imperium cœpturo attulit, ut neminem fugeret, virtutem hanc, cujus memini, Regium Solium adituris perquam utilem esse; nihil enim æque ad amorem perditorum quoque hominum animos accendit, atque si observent clementiam præ vindicta in Regno imperare. Quantos illa reduxit a seditionibus, projectaque vita ad meliorem frugem, fidumque obsequium, cum & feræ reminiscantur, non homines duntaxat, eorum, qui sibi saluti fuere.

Et ne exempla ab irrationalibus deprompta persequar calamo, juvat Augusti Cæsaris testimonium paucis adducere, cui dum sublesto animo Lucius Cinna infidias struere medicaretur, facinus paulo ante, atque effectui daretur, Imperatori suboluit, hic suadente Livia conjuge,

fceleris auctorem ad se accersiri jubet, tum di-
 missis è cubili omnibus, sic eum allocutus est:
 hoc primum Cinna abs te peto, ne loquentem
 interpellas, dabitur & tibi loquendi tempus: de-
 mum commemoratis pluribus in illum beneficiis,
 eum quamvis non ea, qua debuit; ea tamen,
 qua voluit; animi lenitate rogavit, causam ut
 panderet, cur usque projecta audacia violentas
 Cafari inferre decreverit manus? sed perturbato
 Cinna, mox objurgationi imposuit finem: vitam
 tibi Cinna rursus dono, prius hosti, nunc insi-
 diatori, tum secuturo tempore familiari junga-
 mur necessitudine, contēdamusque una, utrum
 ego meliore fide vitam tibi dederim, an tu mihi
 debeas; quæ res admodum perfidi commovit ani-
 mum, ut, posito odio, tuendæ Augusti vitæ præ
 aliis consulere satageret; ex his elicere licet,
 Regnantem omnia quidem nosse oportere, non
 tamen omnia persequi.

Quamobrem, mi Princeps! levibus delictis veniam, magnis moderatam pœnam statue, nec pœna semper, sed sæpius pœnitentis animi indicio contentus esto. Interdum dissimula, & mavelis videri, invenisse bonos, quam fecisse; nihilominus cave, ne aut severitas amorem imminuat, aut facilitas labefactet auctoritatem; malum enim est, ei subesse, sub quo nihil liceat, sed longe pejus, sub quo omnia omnibus liceant; hanc in rem scite Lactantius ait: qui intempestiva commovetur lenitate, vel sæpius, quam necesse foret, ignoscit; is prorsus & illorum vitam perdit, quorum audaciam nutrit ad facinora, & sibi ipsi nunquam defecturam molestiarum materiam subministrat, cum & timida medici manus vulnus augeat ægroti. Plurimum itaque tua, mi Princeps! referet, clementiam in administrando Regno cum severitate conjunctam præferre, ut subditi admodum tui amore flagrent, ne timoris expertes videantur; ita quo-

que timeant, ne omnem exuisse judicentur amorem, quo pacto tuam obsequendo explebunt voluntatem.

COROLLARIUM IV.

Nihil æque Principem commendat, atque fides in promissis servata; sine hac enim omnes ceteræ Regum, ac Principum virtutes obscuræ redduntur.

Nulla res majori cum laude Principum memoriam immortalitati transcribit, atque fides integre servata, sine qua reliquæ virtutes parem naturæ suæ fulgorem spargere nequeunt; est enim hæc fundamentum justitiæ, custos Reipublicæ, ac animorum unio, neque secus fidelitatem a fide sejungimus, [quam ut effectum a causa; fides in secreto mentis residet, fidelitas in eo, quod agimus, elucet; illa ne corrumpatur, cuncta excludit commoda, nec concidit periculorum procella, nec adversariorum frangitur

furore, gloria duntaxat alitur, crescit adverſæ fortunæ caſibus, ac adoleſcit. Antiqui omnes præter barbaros fidem colebant ut Deam, intuebantur ut vinculum amicitiz, ut nervum humanæ naturæ reverebantur. Utinam hoc quoque tempore eadem de fide mens hominum foret; ſed quod dolori cumprimis eſt, perpauci ejus amore tenentur, quæ cauſa, ut Alcibiades quoties in Socratem incideret; rubore ſuffunderetur, cum promiſſis non ſteterit; verum multo alia mens infedit Ageſilao Spartanorum Regi, qui dum exercitum in Aſiam trajeciſſet, Tiſſaphernes ſummus Satrapa viribus imparem ſe videns, & celeritate præventum, fallere per ſpeciem fidei quæſivit. Itaque de induciis cum Ageſilao egit, ſimulans operam ſub id temporis daturum, ut Rex ſuus cum Spartanis negotium componeret. Dedit Ageſilaus trium menſium, ſpatium, quod ipſe quidem optima fide ſervavit; aſt alter copias cogere, loca munire, & bellum ſumma

vi parare cœpit. Quod ubi Laco sensit, & monitus est, nihil moveri, quin multum sibi praesidii addi dicebat, quod Tiffaphernes suo perjurio, & homines abalienaret, & Deos redderet iratos; verum paulo post justas sceleris sui penas dedit, exemplumque violatae fidei posteritati reliquit.

Reges, ac Principes haud dubie non modo stringuntur ad servandam fidem ex lege naturali, sed etiam ex munere Regio; nulla enim re amplius moventur populi, quam cum se a suo Regnante deceptos, ac delusos vident, & experiuntur. Assertum Regis Alphonfi est; tantum valere debere Imperantium verbum, quantum privatorum jusjurandum. Quem jam nostrum latere potest, quantae ignominiae cedat privato viro, fidem fallere, verum Regibus multo amplius dedecus parit, quos ex effato Divino prorsus non decet labium mentiens. Rara tamen hoc tempore fides, vixque alia illius praeter verba

reperitur substantia; nam persæpe rumpuntur fœdera, societates, ac ipsa jura sanguinis, utilitate magis, quam fide æstimata. Nihil reliquum, quod perdat, habet, qui fidem viri boni amisit; dicebat Ethnicus Philosophus, quin neque accedere potest, teste Demosthene, ut injustus, perjurus, mendax, potentiam firmam retineat.

Accedit, quod Divina justitia in violata fide talionis utatur pœna, Henricus III Franciæ Rex illustrem meritis, vitæque integerrimum Ducem Guisium ad se specie capiendi consilii acciri jussit, quem confestim obruit, & sicariorum manu consecit; verum elapsis septem mensibus ipse violentas cujusdam subiit manus, tristemque sui memoriam posteris alendam transcripsit. Quamobrem neminem fore judico, qui non perspiciat, hominem ob fractam fidem opinione citius a Divina Nemese plecti, ac puniri. Vide igitur, mi Princeps! ut verbis steteris tuis, secus odium incurres omnium, neque quid-

piam pollicenti fidem adhibebunt; quamquam non raro tum subditorum, tum sociorum auxilio opus sit; sero demum sapias, dum occidentis dignitatis tuæ interitum desertus ab omnibus non tam conspicies, quam lugebis; fac itaque, ne violatæ fidei unquam arguaris, sed eam omnibus exsolvas, Virumque Te præbeas verborum, ut salutis tuæ custodes, viros una experiaris.

COROLLARIUM V.

Nulla in Principem redundabit ignominia, si fraudem fraude refellat, aut iis promissis non stet, quæ demum injusta fore observaverit.

Quamvis Principi præ aliis proprium sit, ut fidem, qua se alteri obstrinxerat, exolvat; nihilominus expedit nonnunquam sublestum cujusvis agendi modum pari fraude eludere; ipsum enim jus gentium finit licite offendi illum, qui prior illicite offendit, e quibus ar-

guere licet; multo aliud esse, hosti servare fidem; aliud, dolo eundem circumvenire. Si hosti fides certa super re datur, tantum abest, ut eam violare fas sit, nisi pars altera verbis stare nolit, ut summo quoque cedat sceleri; secus ubi conventum non est, adversarium tam vi aperta offendere, quam subdola arte in discrimen inducere, iniquum profus non videtur. Ipsa æterna Veritas præceperat Josue, ut habitatores Hai insidiis concluderet, a quibus contra, atque æquitas poscebat, infestis armis ad bellandum fuerat provocatus. Illud non diffiteor, publicam utilitatem non prævalere honestati, nec fidei sacramentum rescindere posse; eam ob causam plurimum a veritate abludivit Sparta Clearchus, qui Regnantibus ad ea, quæ voluntati arrident, expeditam dicebat viam, si fidem fallerent, si pejerarent, si mentirentur.

Errant profecto, quibus id, quod violatur æquitas, non magnum; illud autem, quod ipsis utilitatem parit, pergratum videtur. Errant, qui fidem dictis nunquam præstant, nisi expediat. Apage cum peste hac Veritatis! quisquis in horum abis sententiam; illud potius crede: iniustitia, & dolis variis Regna enervari, ac, everti. Summa quoque dementia est; in eorum fide spem collocare, quorum perfidia non raro deceptus es. Profecto fraus cum omnibus scæda est, tum imprimis illis, qui dignitate cæteris præstant. Princeps, qui ad Christianas leges suam exigit vitam, rerum potius jacturam subit, quam bonæ fidei: Atilii Reguli velim imiteris exemplum, qui a Carthaginensibus captus, ac Roman Legatus ab iisdem missus, ut de captivorum redemptione ageret cum Senatu; fidem pollicitus, se reverfurum, fidelis quoque permanfit Patriæ, fide in ipsos hostes inviolata permanente. Dissuasit captivorum permutationem pro Patriæ

com-

commodo, tum atrocissimis pœnis affectus Carthagine vitam cum morte commutavit. Potuit is necem durissimam evitare; verum maluit diem extremum obire, quam promissam hostibus fidem violare.

Quibus allatis, perquam meditate una tenere oportet, promissa nequaquam esse servanda; quæ iis, quibus promissæ, non forent utilia, aut si plus noceant, quam profint; nam multa invertit lapsus temporum, casusque adversi, ut quædam minus salutaria fiant, quæ olim saluti consultura videbantur. Injusta æque promissa sub obligationem non cadunt, qua in re Agefilai responsum in memoriam revoca: si justum est, quod petis, faciam; sin minus, cave, executioni me daturum judices; non enim promisi, sed dixi. Decet perinde ipsos petentes, ut ea duntaxat abs suis efflagitent Principibus, quæ justitiæ juxta, atque honestati sunt consentanea; secus multo satius est, promissis non stare, quam pec-

care in leges æquitatis. Promiffa nimia dubiam arguunt fidem; ambigua vero fraudibus ut plurimum funt obnoxia, diffide illis, fidem adjuuge nunquam. Promiffa ab Imperante extorta, quæ fecuturo tempore in contemptum Principis, Religionis, vel falutis publicæ vergere obfervantur, vim fidei obligantis nullam obtinent.

Quamobrem nullius vitii infimulant hiftoria eos, qui contra fidem paulo ante datam, noluerunt quasdam fuas Provincias militibus vacuas relinquere, cum comperiffent, id ab Ordinibus eo duntaxat fine fuiffe petitum, ut feditionem, quam fublefto animo meditabantur, tutius inchoent, gravioribusque miferiis involvant Imperantem; verum fi fraus omnis, omnisque a poftulantibus abfit injuftitia, necelfe eft, mi Princeps! ut promiffis perinde, atque jurejurando fuiffes pollicitus, ftare velis, quæ res multo ampliozem gloriam pariet, quam fi dolo ingentem de hofte retuliffes victoriam. Repete tantisper

memoriam Sexti Pompeji, cui Menodurus classis Præfectus aiebat: vis anchoras succidam, & te non Siciliæ, neque Sardiniaë, sed Romani Imperii faciam dominum, mox is, cum paulisper cogitasset, oportuit, inquit: o Menodure! hoc perteipsum, me infcio, fecisse; pejerare enim nequaquam meum est, qui Marco Antonio, & Octavio antea fidem obligaveram. Si tamen is, mi Princeps! quem fœdere Tibi junxeras, occultis artibus adversum Te quidpiam moliatur; fraudem fraude repelle, neque judices, Te eam ob causam justitiæ violaturum leges, tum ea ipsa, quæ spondidisti, æquitati contraria dum observaveris, actutum rescinde, certus esto, Te, quolibet æquo arbitro, nihil acturum, cujus aliquando pœniteret.

COROLLARIUM VI.

Benevolentiam populi, ac promissorum fidem consequitur auctoritas Imperantis; exigui enim roboris est potentia Principum, nisi una polleat auctoritate.

Regnantes potestatem, qua pollent, infirmo sibi presidio fore arbitrentur velim, nisi parem dignitati junxerint auctoritatem, quam virtutum decora, fortunæ constantia, animi fortitudo, & maximæ famæ splendor conciliat, tum ea omnia, quibus hominum oculos, animosque in se non tam convertunt, quam rapiunt, huic comparandæ apprime conducunt. Privatae fortis homines, haud scio, an quibusvis suis actionibus majori contentione quærant aliud, quam ut rei familiari promovendæ consulant. Principum longe diversam ab his agendi rationem esse oportere judico, quibus continuo immortalem gloriam,

communem civium salutem, Regnique felicitatem præ oculis habere necesse est, cum non tam sibi, quam aliis natæ esse videantur. Amor populi in Regnantem, ejusque authoritas, hoc unico differunt: nam ad consciscendum amorem mediocris sufficit virtus; authoritas vero firma non redditur, nisi ipsa virtutis excellentia, & perfectione, cui admodum potens vis insidet, ut sui æstimationem imperet omnibus; e quibus vera constatur authoritas.

Nec abs re; modestia enim, clementia, beneficentia amorem: Religio, pietas, moresque integri reverentiam: ingenii acies, consiliorum maturitas, peritæ belli, pacisque artes existimationem pariunt; hæc autem juncta authoritatem creant Regnanti. Gravitas vero morum sic comitetur Principem, ut illi nec rigidi videantur per arrogantiam, nec sordidi per avaritiam, nec despiciat suos Proceres per superbiam, nec conversatione Regiæ dignitati adferat contemptum.

Meminerint Imperantes, se velut luminare majus semper conspici, & observari, suasque actiones in exemplum trahi; plebeja enim ingenia exemplis magis, quam ratione capiuntur; quamobrem ad leges exactus vivendi tenor, ac inter utriusque fortunæ angustias, & favores constans animus, fidesque metu infracta, admiratione dignum reddet Principem. Sepiat una aures, ne delatoribus, & fufurronibus pateant; proximus enim ruinæ est Augusti honor, si promiscuis adulatoribus vulgetur. Caveat intuper, ne præservida iræ, cui temperandæ impar pene videtur, signum edat, nisi periclitari velit sui æstimatione; satius igitur est, si naturam moderari nequit, eos ut sibi adlegat Ministros, qui publica negotia suavitate justitiæ mixta administrant, ut sui Principis animum regendo minus idoneum pro eo, ac debent, tegant, ac occultent.

Qua in re induci non possum, in eorum ut concedam sententiam, qui ajunt: continuo aspectu minorem, majorem rariore Regnanti conciliari venerationem; nam utrumque extremum est, vel nunquam videri, vel semper. Omnis rerum perfectio consistit in medio. Extrema in periculum inclinant, superflua nocent, nimia vertuntur demum vitio. Alienum abs Te fit, mi Princeps! ut uni duntaxat addictus vivas; sed Te ipsum omnibus, tanquam per vices partiare, palmam faciens, unum Te esse, ad quem referri omnia, & velis, & debeant. Major profecto gloria, & æstimatio Tibi a laboribus veniet, si præ aliis ad augendam, conservandamque Regni felicitatem incumbas. Vide nihilominus, ne secreta aule, amicorum consilia, militum molitiones, iis communicaveris, quorum, scire, minime interest. Magna quoque authoritatis accessio Principi fit ex metu, sed non illo, quem crudelitas parit, verum quem veneratio, & reverentia con-

ciliat; cum vereri oporteat Imperantem, non detestari; timor quidem amore potentior est ad firmandam authoritatem; ast si leges æquitatis excedere videatur, mox in odium, & contemptum convertetur, geminos authoritatis Regia hostes.

Nihil autem authoritati Regnantis officiet, si ejus pro eo, ac par est, alios quoque reddat participes. Lux enim non exstinguitur, quæ communicatur, lucemque haud secus, atque antea sparget, quamvis alienam accendat facem. Cave tamen tuam exstinxeris, dum alienam plus æquo illuminas. Cum subditus umbram agat, & Princeps corpus, uterque suo fungatur munere, & hic dando, quantum audet, & ille accipiendo, quantum licet. Siquid amplius; augebunt invidiam, & diminuent authoritatem. Magni haud dubie ab omnibus audiunt Principes, qui non tam instruuntur ab suis, quam ii ipsi erudiunt suos. Profecto fatius foret mori, dicebat Ale-

xander Magnus, quam precario imperare; eum autem precario imperare existimo, qui se, ac sua paucis, aut uni ita committit, ut focii videantur Solii, & Imperii confortes, qualem olim fuisse Domitianum, accepimus. Quamobrem actum est de authoritate, in quam involant privati. Sapiens discrimini suum non objicit honorem; verum connivet nonnunquam, ne cuncta amittat, occidentemque fortunam ægre demum erigat, ac confirmet.

Noli itaque omnia mox executioni dare, quæ furorem tuum explerent, quædam ex tempore dispone, quædam rejice in tempus. Quid enim aliud exitio fuit Lacedæmoniis, & Atheniensibus, quamquam armis pollerent, nisi quod victos fuorum instar non colerent. At Romæ conditor Romulus, tanta valuit sapientia, ut plerosque populos eodem die hostes, tum cives habuerit. Malus victoriarum custos est favitia; mala authoritatis Regiæ apud externos promovenda

dæ crudele imperium. *Authoritas*, quæ non cre-
fcit, declinat, & quæ cum Imperii magnitudine
adolefcit, cum ejusdem fenefcit interitu, fati
aleam mox fubitura. Verum nunquam tua exue-
ris *authoritate*, mi *Princeps*! fi non modo *Re-*
gis, fed *Patris* etiam fuffinueris *perfonam*; ï
Te una tuorum *clypeum* egeris; nam *authoritas*
non ignavia, luxu, otio comparatur; verum vi-
gilando, agendo, ferendo omnia, quæ *Regni* fa-
luti conducere poffe videbuntur. *Postremo* sci-
to, ex merito duntaxat enafci folere *authoritatis*
decus; ex otio contemptum.

COROLLARIUM VII.

*Providentia in agendo non leve momentum est ad
authoritatem conciliandam.*

Si providi etymon penitus inspiciamus, profecto haud alium inpuere videtur, atque qui ad finem sibi propositum de mediis prospicit, & adversus impedimenta pro eo, ac par est, modo se munit; quamobrem Principis munus cumprimis esse arbitror, Regni salutem fovere, ac publicis consulere commodis: qua in re æquum minime foret, propriis duntaxat inniti viribus, cum persæpe excedat illas providentia sagacis viri, & non pauca, quæ natura impedita fuere, consilio, & prudentia expedita videamus. Summam itaque sibi laudem pariet Imperans, si, ut cum Cicerone loquar, tanquam ex aliqua specula prospiciat tempestates futuras, iisque premature occurrat, quæ Reipublicæ felicitati

citati officerent; tum caveat, ne rebus indormiat suis, qui provinciam cum imperio obtinet; nullum enim pelagus tantis subiectum est tempestatibus, quantis Regnum omne expositum est periculis; mox in Syrtim appellet, qui ad clavum secus, atque oportet, affidet, cui reparando malo ægre admodum idoneum fore iudico Principem; dum enim is errat, cum omnium delinquit pernicie.

Nibil in causa Regni modicum, quod neglectum, non ingens reddatur; ideo maximo Imperio maximam curam inesse dicebat Salustius. Providus Princeps, necesse est, Janum ut induat, & non in scepro solum, quemadmodum apud Ægyptios solitum fuit, sed in fronte etiam, & occipite vigilibus instructus sit oculis, ac una noverit, quæ sint, quæ fuerint, & quæ ventura sperentur, aut timeantur. Futura medeatur presentibus, & presentia æque metiatur præteritis. Qui futura longe prospicit, priusquam eveniant,

tanquam e sublimi loco prævidisse creditur. Animus cavere, qui didicit, haud ignorat, rem ipsam tuto aggredi. Vituperationis plena Regnantis verba sunt; *me pœnitet, non putabam*. Ne itaque, mi Princeps! a recto tramite aberrare videaris, ad æquitatis exige leges, quæ bona, quæve mala sint; tum honesta a deterioribus, utilia a noxiis secerne, præterita perpende, futura prævide, præsentia ordina. Nunquam in crastinum differ, quod hodie non mediocris cum utilitate agere vales; multo enim fatius est, impigram labori admovere manum, antequam occasio præterlabatur. Egregios hos providentiæ effectus scito, quibus authoritas conciliatur, ac conservatur. Animalia quædam tempestates prævident, quædam domos deferunt ruinæ proximas. Quamobrem turpitudinis notam non effugient, si ii, quibus præesse datum est, nesciant, discrimini suos subducere, & Regni evitare pericula. Nihil profecto fortuiti providentiæ patitur, respi-

cit in omnia tempora, ne casus fero duntaxat prævisi vitio vertantur longe maximo.

Josephus Ægyptiacus præ Rege Pharaone exstinxit septennem Regionis famem, quam Divino adjutus auxilio fore prævidit. Providi æque Principis est, in difficilibus, molestisque negotiis eam amplecti partem, quæ aut plus utilitatis, aut periculi minus habere videtur. Raro sane vitandis periculis impares sumus, si ea multo ante prævideantur, prudentique expendantur consilio, suffectis illico rara quadam sagacitate remediis. Neque velim universa sapientiæ humanæ relinqui, Divinam cumprimis in subsidium vocandam esse judico; miserentur enim laborum nostrorum Cœlites, & tempestive succurrent afflictis rebus; ah quoties nutantem, ac pene cadentem fortunam Divina erexerunt, confirmaruntque præsidia. Quamobrem contende, mi Princeps! ut Ministrorum suffultus consiliis populorum menti eam tui inferas opinionem, ut ab singulis

gulis haud alius habeâris; atque, qui non modo
 præfenti fortuna dignus, sed ejus quoque reti-
 nendæ capax, tum augendæ, promovendæque
 guarus videaris. Quod de Te conceptum judici-
 um tanto omnium animis imprimes altius, quan-
 to subditi crediderint, firmitus, se Principem
 providum, ac sagacem venerari posse, cujus fa-
 vore accendantur ad amorem, auctoritate ad ob-
 sequium stimulantur, in quo majestatem provi-
 dentia commendat, providentiam majestas admo-
 dum reddit illustrem, ut reverentia cum dilectio-
 ne mutuo confligant, utra in Te potiorem obti-
 neat locum. Pluribus haud opus est, ut evin-
 cam, quantum providentia Regnantis authorita-
 tem provehat, ac tueatur, qua duce Regni per-
 inde, atque civium salutem pro eo, ac par est,
 prospicies, ac consules.

COROLLARIUM VII.

Scito, singularem gloriam, ac Principum authoritatem, non minus fortunæ, quam virtutis esse donum; nam virtus dum sola est, persepe non agnoscitur, comitem si habeat fortunam, ab omnibus suspicitur.

Neminem fore judico, qui in eam non concedat sententiam, ut fateatur, eximiam gloriam, ac Imperantium authoritatem, non minus fortunæ, quam virtutis esse beneficium. Virtus dum sola est, non agnoscitur, sociam si nanciscatur fortunam, mox omnes in sui rapiet admirationem. Nemo enim infelicem quærit comitem, quocumq; concidat, tristisque cadat furoris victima; omnes beati esse volumus, nemo miser. Quibusdam ipsi etiam venti, tempestatesque obsecundant, nunquam ab adversa fortuna deceptis; verum iisdem auctor sum, sub id temporis sibi cumprimis ut caveant, cum in eorum quasi si-

num fortuna se infudisse videtur, ne præter opinionem umbræ instar se subtrahat, ac subducat. Regnorum quidem administratores magna fortuna egent; nam ipsorum authoritas unicus pene felicitatis fructus est. Isocrates magna Imperia magnam fortunam ajebat, cum huic omnes lætos suos progressus in acceptis referre teneantur.

Alexander quamvis plurimum virtuti debuerit; plus tamen debuit fortunæ, quam unicus mortalium in potestate habuit; nam quoties eum a morte revocavit? Quoties temere in pericula ruentem protexit? Et sane felicem Principem amant, suspiciunt, ac reverentur subditi; hostes vero, non tam ejus arma, quam fortunam metunt, verenturque. Magnorum consiliorum arbiter, & judex, sunt ipsi evenus rerum, quos Gentiles Politici adscribere industriæ; nos Divinæ menti, cujus nutu regimur, cuncta tribuimus. Felicitas, est munus a summo Deo non omnibus datum, plurimis negatum. Et num al-

teri sortem omnem acceptam referemus? Si inspiciamus causas fecundas, credemus fortunam dari, & quæque fortuita esse; si vero rerum omnium causam primam expendamus, mox nobis nihil videbitur fortunæ subiectum, sed ordinatione Divina cuncta evenire. Quoties quædam rebus interveniunt nostris, quæ superant intellectum humanum.

Infesto animo persequabatur Hircanus Herodem, nec viribus, nec authoritate, nec dignitate sibi parem; nihilominus præter opinionem Herodes Tetrarchatum obtinuit, tum Principatum, postremo Regnum suæ Patriæ est indeptus. Omne igitur, quod seu bonæ, seu malæ fortunæ nomine venit, est ipsa æterna Mens, sive Numen Divinum, nobis jam propitium, jam adversum, ut meremur, aut démeremur. Si Deus cuncta in hoc mundo contra viam rationis, & prudentiæ humanæ leges fieri sineret, quis crederet quidpiam aliud existere, nisi quæ casu, & fortuito

enascuntur? Si vero ex prudentiæ, & dispositionis humanæ norma forent singula, nullo in adversum dato fortuito eventu, quis non humanam prudentiam, velut Divinum quid æstimaret, adoraretque? Necessè igitur est, tertium quidpiam esse oportere, quod omnia temperat, regit, disponit, & in fines ordinat suos. Nihil novi molitur Deus, cujus judicia ab æterno peracta, explenda in tempore ab hominibus, vel ferenda.

Quamobrem an ideo omnis labor inanis, irrita consilia, prudentia nulla? Minime. Consilia enim recta dirigit Deus, nec confundit prudentiam humanam ad cœlestem exactam. Ipse Euripides dixisse fertur: qui se gerunt prudenter, illis fors e Cœlo favet. Omnia prospera eveniunt Numen colentibus, adversaque spernentibus; sic laborem excipit fortuna, pietatem felix comitatur successus, humanam prudentiam favore prosequitur Divina dispositio. Et hæc illa fortuna est, quæ Principem evehit ad folium,

victoriis cumulat ad triumphum, & authoritatem firmat in decus perpetuum Majestatis. Non abs re itaque a me dictum puta, mi Princeps! singularem gloriam, & Imperantium authoritatem, non minus fortunæ, quam virtutis esse donum; nam virtus; dum sola est, persæpe non agnoscitur, comitem si habeat fortunam, ab omnibus suspicatur.

Princeps de iis, quæ executioni dare satagit, plus meditetur, quam loquatur, ne, si aperto pectore fuerit, ejus consilia adversarii prævertant.

T H E O R E M A.

Quæ mente concludit Princeps, silentio premat potius, quam divulget; secus ægre admodum cogitationes optatum sortientur effectum.

Regnantibus præ aliis proprium esse judico, ut quid illos agere oporteat, cum multis communicent; quid autem reapse meditentur, paucissimos in consilium suarum advocent cogitationum, ne, si ea, quæ mente concludunt, multorum commiserint fidei, spe sua fallantur, eludantur opinione; nihil enim difficilius fore existimo, quam secreta tegere silentio, cum rari pro eo, ac par est, linguæ suæ noverint mode-

rari; eam ob causam Metellus Macedonius cui-
dam Tribuno percontanti, quid postero die es-
set factururus, reposuit: si ipsam vestem scirem
mentis meæ conficiam, eam continuo cremarem,
optime gnarus; Principis munus esse, plurima
cogitare, summa operari, minimum autem loqui.
Prudentis enim Imperantis princeps regula est
silentium, quo qui destituitur, non secus, atque
naucerus gubernaculo privatus, vento, & flucti-
bus objicitur ludibrium; nam quis eum singulari
cum laude, parique felicitate regnare posse exi-
stimabit, qui ignorat res gerendas silentio invol-
vere? Quis eum Patriæ felicitati, civiumque sa-
luti consulere velle arbitrabitur, qui nondum
didicit, recondita consilia silentio premere?
Quantæ autem utilitatis sit, parcum esse sermo-
nis, arcanorumque fidelem custodem se præbere,
Rômanorum testimonio apprimè comprobatur;
admodum enim cautum erat apud illos, ne ullos
Senatorum consilia Patrum panderet, ut neminem

veneranda antiquitas posteritati transcripserit, qui violatæ taciturnitatis argueretur.

Qua in re Persas cum primis cæteris nationibus præstitisse accepimus; dum enim Alexander, quam regionem Darius petiturus esset, sciendi cupiditate teneretur, tantum abest, ut desiderii compos fuerit redditus, ut neque metu, neque donis a quopiam potuerit elicere; quam ob causam in eum, qui linguæ vitio laborasse observatus erat, multo gravius animadverterunt, atque si quovis alio fuisset irretitus scelere. Sed quid pluribus immoror, cum apud omnes Regnantes, quorum memoria nunquam abolefcet, sed cum laude alent fera tempora, magna semper fuerit silentii observatio. Tiberius Cæsar, dum aliquando ex eo quispiam sciscitaretur, quid causæ foret, quod sua consilia non committeret iis, quibus tuto fidere posset, respondit; aut nulli, aut paucis cognitum oportet esse consilium Principis; quem in finem Isocrates cuidam loquaculo

erudiri volenti ait: libenter operam dabo, sed duplicem mercedem mihi dari posco; alteram, ut loqui; alteram, ut tacere discas; non enim minoris artis est, bene tacere, quam bene loqui, quod cum primis in administrando Regno principem obtinet locum; secus Imperans summo discrimini se, suosque objiciet.

Profecto huc alluisse videntur antiqui, qui Templum consilii, sub terra esse voluerunt, ut innuerent, arcana Regum tamdiu occultari debere, quamdiu optatum non fortiuntur effectum. Quamobrem, mi Princeps! admodum tecto sis animo, ut cogitationes, quas mente foves, nemini innotescant, quo pacto Te Regno utilem, hostibus metuendum reddes, neque dabita, quin faventem Tibi nanciscaris fortunam, seu civium felicitatem promovere, seu bellum adversariis indicere velis; nihil enim Principum dignitati magis consentaneum fore judico, quam silentium opportuno tempore servatum juxta illud Poetae:

eximia virtus, præstare silentia rebus; at contra, gravis est culpa, tacenda loqui.

EX QUO EMANAT.

COROLLARIUM I.

Multum juvat, Principem tecto esse animo; facilius enim prudenti hac arte assequetur fines sibi præstitutos, quam armorum fragore, & dubio belli eventu.

Plurimum ad felicitatem Regni tum procurandam, tum conservandam conferet, si Imperans sublesto, non simplici; oblecto, non aperto fuerit pectore; astum enim genuit prudentia, nec ille abludit ab hac, nisi subtilitate occultarum rationum, quin vitii aspergatur labe, aut fidei patiatur jacturam. Subtilis, subdolæque mentis natura est, nosse bellum jactare, & pacem una querere, quod Romanis admodum proprium fuisse accepimus, ut in Urbe fovendæ quieti

quieti intenderent animos, dum focii persape manus cum hoste diffitis in Regionibus confere-
rent. Cave, mi Princeps! astum ut dolum exi-
stimes; astus scelus omne respuit, dolus nec fi-
dem recipit, nec stat promissis. Astus justitiæ
concluditur legibus, & præter opinionem suam
assequitur finem; dolus per quævis media justa
perinde, atque injusta agit omnia, mentiendo,
cavillando, fallendo. Quis malæ artis arguet Pá-
triarcham Jacobum, qui exposito pecoribus ligno
vario colore tincto præ Labano oves est inde-
ptus? Aut Darium infimulabit sceleris, qui hin-
nitu equi arte procurato, Regno fuerat potitus?
Veneranda antiquitas feræ posteritati Jaelis no-
men cum laude alendum transmisit, quæ Sisaram
haustu lactis sopivit; ut illum tutius ferreo in-
terimeret clavó.

Quin si in Platonis, & Xenophontis senten-
tiam concedere licet, mendacio quoque fallere
hostem ob salutem Patriæ, sapientis est. Quæ

enim

enim veritas, teste eodem, major esse potest, quam consulere salutem omnium, & ab exitio tueri Patriam? Astus quidem per se non decipit, sed decipitur ille, qui mox suam adjungit fidem, præliumque quoddam mentium est, dum alter sua consilia occultare, alter penetrare satagit, utriusque hoc tempore astu opus est. Tiberius socium Imperii iteratis ab Senatu flagitabat precibus, non quidem ea mente, ut ejus subdolis annuerent verbis; sed ut, quod metuebat, si accideret, par foret obstitendo; verum Senatores, quos minime Tiberii tectus fugiebat animus, non parum verebantur, ne ei suboleret, se ab iisdem intelligi; quamobrem profusis ad speciem lachrimis deprecabantur socium, unicumque sufficere posse Tiberium dicebant, moderatorem, & arbitrum Romani Imperii; quo pacto astum eludebant astu; non tamen absque periculo: nam majorem suspicandi materiam Cæsaris injecerunt animo, dum eam evellere conabantur; profecto

multo

multo fatius fuisset dissimulare; nisi enim dissimulatio obtegat astum, astus non est. Leporem dormientem aperto oculo repræsentat dissimulatio, non ille semper dormit, cum dormire creditur; opertus oculus prætextus est soporis, quo alios eludat, quodve non facit, id se facere simulat, & quod facit, se non facere dissimulat.

Quem in finem præsentissimum inter pericula præsidium, & tempestivum fore Ariadnæ videtur filium, ex labyrintho rerum perplexarum manuducens Principem; nam Regnanti, nosse, dissimulare, tam necessarium est, quam singulari cum laude regnare. Sciscitare, si lubet, Liviam, quæ animo imperabat Augusti, dominatoris mundi: unde tantum fœminæ in talem Virum imperium? quia alta dissimulatione nunquam affectavit publica, quamvis eorum cupiditate flagraret; ideo demum vocata ad omnia, rerum magis arbitra, quam conscia. Quis jam in dubium vocare audeat, plurimos mortalium felices ne-

gotiorum eventus dissimulando fuisse consecutos? Profecto neque Cyrus libertati afferuisset Persas e tyrannide Medorum, nisi celasset sua consilia Astyagem. Neque Dion tyrannum e Patria eiecisset Dionysium, si hic adversarii cognovisset sublestum agendi modum. Vide itaque, mi Princeps! quantum Reipublicæ salutis intersit, tecto esse animo, ne gloriæ tuæ invidi in notitiã tuarum deveniant cogitationum, quo astu multo uberiores laborum leges fructus, atque si summo belli apparatu terrorem iisdem injiceres; nam dubium pugnæ eventum novimus, fortunamque non semper nobis arridere proprio didicimus exemplo.

COROLLARIUM II.

Sapientis Principis est, tempori se accomodare, ut noverit, dissimulatione plurimis mederi malis, apertoque pectore paria incommoda ab Regni incolis propulsare.

Non pauca in Regnantem ex dissimulatione redundabunt commoda, si eam induerit naturam, ut persæpe illa quoque, quæ noverit, ignorare videatur; nam ii actutum liberius sperient animi sensum, qui ejus officere contendunt intentioni, falso existimantes, se ab nemine observari; cum tamen sub id temporis amplius sublestis circumveniantur artibus, quibus conclusi ægre admodum fugientem fortunam revocare valent; tum si secreta consilia premantur silentio, libertate haud secus, atque antea, pollebit Imperans, se in quamcunque partem flectendi, quin aliquid Regio derogetur honori, & multo

facilius in aliorum se penetrabit arcana, quibus cognitis, adversariorum opinione citius eludendolitionem. Sipientis una Principis intererit, taciturnitate animi vulnus tegere, dum justo majore a quodam affectus est injuria, cui inderi non potest, quamquam velit, & si possit etiam, mox non expedit; sed a temporis opportunitate medicinam doloris petere oportebit, memor illas: quod mutare, exequi, aut punire citra periculum nequis, tutius dissimula.

Sub principium Regni necesse est, multa ut tacito concoquat pectore, quo penitus suorum nescat indolem, iique in animum inducant suum, ut credant, nescire Principem ea, quæ non levi quoque pœna digna forent; verum si militum robore probe sit instructus, caveat talibus susperfedere rebus, quæ justum metum cum Reipublicæ damno conjunctum injicerent, ne vel metuere videatur, vel arguatur ignaviæ. Adversum vero fortunæ casum, qui cum metu jam id

ore versatur omnium, si Regnans occultare fatagat, tantum abest, ut subdolo hoc agendi modo minuat, ut multo amplius augeat potius; sed si rumor duntaxat serpat, suspensoque adhuc haesuper re sint populi animo, mox minuenda erit fama, imminentis damni removenda pericula, providendumque de singulorum securitate. Verum necessitates publicæ raro admodum dissimulari possunt citra Patriæ damnum; tempestive potius ferendum remedium, quam ex dissimulatione mali postremum ut expectetur exitium. Quæ autem Principi non modo grata non videntur, sed indignationem pariunt etiam, satius est, ea parum morari, quam prohibere; quia in vetita magis nititur sive suspicio, sive curiositas hominibus innata.

Duos in hoc dissimulandi genere scopulos caveat Imperans; alterum ne continuo tecto utatur animo, sed perraro, & cum necesse fuerit; teste enim Aristotele, multum officit æquo ju-

dicio formando; alterum, ne advertatur, dissimulare, verum ipsam dissimulationem, sive propriam, sive alienam, sublesto noverit tegere pectore. Simiam in purpura non præferant Principes, sed Simiam sub purpura recondant. In utroque erravit Tiberius, is nunquam vel signo prodidit, quod voluntati suæ arridebat, ast contrarium semper. Renuit concupita, odiosa expetit, nunquam ille fuit, qui erat; qua re famam dissimulatoris obtinuit, omniumque incurrit odium. Apposite quidam ægre suscipienti delatum Imperium in aures suggestit: cæteri, quod pollicentur, sero præstant, tu quod præstas, tarde polliceris. Quamobrem dissimulatio prudens conjuncta sit verecundiæ, qui autem perfrieta fronte se in omni actione alium, atque sit, ostendit, mendacii labem non effugit; nam malus dum se probum simulat, pessimus a cunctis audit.

Mentiri quidem non decet Principem; tace-
 re tamen ipsi permiffum est; fapiens enim fer-
 vit tempori, falva tamen virtute. David fimu-
 lavit infaniam, Solon furorem, Abraham cali-
 batum, quorum nemo gravioris arguitur vitii.
 Rectores navium confultius judicant, tantisper
 a curfu deflectendo appellere ad portum, quam
 recta eundem adire cum periculo; e quibus haud
 aliud elicio, atque ut Regnantes secreta confilia
 fibi recondant, fidem apud alios habeant, tefto-
 que fuo ingenio quocunque in loco, ac fortuna
 utantur. Sed quid pluribus immoror, cum aftum,
 & diffimulationem actutum confequatur diffimu-
 latio, & confidentia, utraque vitio contermina,
 quin vitium ipfum, fi excedat; media autem in-
 ter extrema virtus est, pars non contemnenda
 prudentiæ Regiæ, ad recte gubernandum neceffa-
 ria. Aurea est omnis mediocritas, five inter
 ignaviam, & audaciam; five confidentiam, &
 metum. Quamobrem, mi Princeps! eum Te

præbeas, ad cujus exemplar cæteri se fingant Imperantes, in quo præsens ætas regnandi methodum suspiciat, posteritas æmuletur, & qui non minus aperto, quam simulato pectore usque tuis consulas semper, ut non tam a natura ad regendum formatus, quam a Diis donatus videare.

COROLLARIUM III.

Caveat Princeps, quamvis secreturum tenax sit, ne viribus suis plus nimio fidat; secus non levem sibi creabit perniciem.

Laude dignos eos judico Principes, qui potentiam suam ad prudentiæ exigunt leges, tantumque sibi duntaxat arrogat, ut nec nimia sui demissione contemptum pariant, nec elato spiritu odium apud subditos concilient. Profecto nihil admodum magnum natura produxit, quod exitio obnoxium non foret. Elephas grandis est, & interit; Leo fortis est, & non

raro furoris victima cadit; tigris subleſta ira plena eſt, & hominum inſidias non effugit. Ipſa namque vires, opes, milites, ſi juſto majore adſint numero, pro eo, ac oportet, regi haudquaquam poſſunt; quod autem gubernari nequit, nec diu perdurat. Multitudo exercitus, quæ Darium tueri videbatur, potius oppreſſit. Non ſe noſcunt ii Principes, qui ſe multum poſſe exiſtimant, & cum blandiuntur ſibi de amplitudine dignitatis, major ipſos ſui cura tangit, quam Regni conſervandi angit ſollicitudo, qua ex re bella enaſcuntur longe difficillima, exiſtimantes: indignum eſſe, ſi omnia minora uni non ſubjiciantur maximo.

Multum præſumpſit Pompejus, dum is objeſtantibus fortunam Cæſaris in Italia, reſpondit: ſimulatque Italiæ pulſavero ſolum, mox exi-
 lient equitum juxta, atque peditum copiæ; verum infelix exitus magni Herois confudit jactantiam; temeritatis enim, trïſti aliorum docemur

exemplo, quam subiti, ac vehementes sint motus, quibus Imperantium mentes concussa, nec suis periculis amplius prospiciunt, nec aliena consilia iusta æstimatione profequi valent. Contra sapientes Principes; qui belli, rerumque dubiarum eventibus dissidunt, in ipsa securitate animum ad difficilia præparant, & adversus omnes fortunæ injurias, & discrimina, se non secus, atque fortes decet; communiunt. Oppugnari quidem potest Vir infracti pectoris, non expugnari; sane opus gloriosum in regno fortunæ, vixisse fortunam, sed ejus telis confici, non inveniri, & nobilis, est vilis, & subiecti animi est; prudens enim non metu frangitur, non potestate mutatur, non extollitur prosperis, tribus non demergitur; nam Vir fortis nunquam in alia fortuna est alius, sed semper idem, sibi que similis; eam ob causam cumprimis huic rei consonat laurus, quæ teste Gemisiano, tum hyberno, tum æstivo tempore na-

tivum retinet virorem, qualem Principem esse decet, ac expedit.

Caveat igitur, quisquis summa rerum potestate fungitur, ne, dum secretorum tenacem se exhibet, plus nimio confidat viribus, nisi fecus, atque necesse est, Patriæ felicitati consulere velit; diffidentia quadam nonnunquam opus est; qui enim leviter sibi, & aliis diffidunt, resque omnes sagacius perspiciunt, fere extra telorum jactum, & citra periculum versantur, nec se temere involvunt negotiis, e quibus se nequeant demum evolvere, sed e portu duntaxat aliorum intuentur naufragia. Verum quemadmodum omnia omnibus confidere, est vel socordiam suam, vel ignorantiam profiteri; ita nulli se concedere, est omnes imprudentiæ, seipsum autem contumaciæ damnare, quo vitio non paucos laborasse, sero demum poenituit. Magna itaque ars est, mi Princeps! arcana admodum premere silentio, ne fortuna tua elatus, Tibi multo maximam

crees perniciem; subditos enim, quibus imperas, perinde homines esse noveris, atque Te, a quibus munere, non natura differs; indignum idcirco foret, ad tuum genium; Patriæ salutis minus fortasse profuturum, se cuncti ut accommodent; non enim tam illis Tu, atque illi Tibi necessarij fore videntur.

COROLLARIUM IV.

Principis cum primis interest, ut nec cito credat, nec fidem omnibus abnuat.

Quanta opus est Principi singulis in rebus attentione, ne sibi, aut Patriæ officiat! qui enim credit cito, levis est corde, & qui male credit, male judicat. Nunquam ad æquitatis, prudentiæque leges ullus suas exiget actiones, quisquis promptum se ad credendum exhibet; credulitas namque magna animi imbecillitas est, quæ mox cuique rumori avidas præbet au-

res, tum sinum pandit, & aperit praeordia. Verbum credo apud Juris consultos plenum non facit testimonium, neque in credentium voluntatem, si ab justitia stare velint, actutum concedent homines. Profecto qualis Regnanti insita, ac innata est cupiditas, talem in eo aut credendi facilitatem, aut fidem omnem abnuendi esse judico pertinaciam. Timor impellit subditos, ut illis quoque praestent annutum, quae factu non modo difficilia, sed vires ipsas excedentia videntur; amor vero iis duntaxat assentitur, quae genio arrident suo, seu veri, seu falsi demum praefereant speciem. Facile quidem est falli, sed nulla re facilius, quam dum facillime creditur. Credulitas muliebre est vitium, prudentum Virorum fabula, Regiae mentis dedecus. Multo igitur satius eum agere censeo, qui pene singula ad justam revocat crism; ita tamen, ne cuncta temere negligat, verum in omnibus sui securum ut se reddat; nam quandoque si suspensum te-

neamus animum; id nos rerum notitiæ potius, quam contemptus arguere potest, dicebat illustris quidam Politicus.

Neque enim sapientem Principem primis rumoribus, qui in aures illabuntur, moveri oportet; sed comite prudente diffidentia, caute quævis dicta in dubium trahit, tum lente scrutatur, antequam auditis suam adjungat opinionem; quamobrem quis longe consultius non putabit; sublesto agendi modo credere omnia, sed de iis suspendere judicium; inquirere in res reconditas, cavere tamen sibi in omnibus; raro confidere ea alteri, quæ silentio premenda videntur, quædam nihilominus coram depromere, in quibus fides interponenda judicatur. Utrumque quidem vitio vertitur, & omnibus credere, & nulli; non abs re igitur cum Apollonio Thyaneo fateri aulim: quietum, periculique securam is nasciscetur Regnum, si in multorum se insinaverit animos; paucis vero adhibuerit fidem.

Principes, in quibus par dignitati respondet comitas, se facile omnibus concedunt, mali nulli, sapientes auream tenent mediocritatem, non enim persuadent illi sibi omnia; nam non paucis suam addicunt credulitatem; verum admodum callide, ne in ullum inducantur errorem. Credunt Viris probatæ fidei, fidunt suis amplius, atque exteris. Manus quoque oculis instructas habent, quoties eas porrigunt ad confirmanda pacta, & fœdera, aut iis Regiam subscribunt fidem; decipi enim semper metuunt, sed timorem sagax providentia tollit, quæ in prosperis æque, ac adversis præsto esse consuevit.

Haud igitur salsiud, mi Princeps! nostrum diffidere existimes, quam nosse, cavere Tibi, Regno, ac civibus curæ tuæ conceditis. Quamobrem vigila, ac una memor esto; ut arcana cum diffidentia aliis, dum opus fore arbitraris, communices, quos tum in consilium tuarum adhibere cogitationum, tum eosdem ab iis excludere

dere nonnunquam non mediocre creat periculum. Nolim quoque, Te ullius perfidia salubribus destitutum mediis ut inveniat, quibus præmaturre occurendo par fores calamitati. Neque vicinorum, quos fœdere Tibi junxeras, fidei res tuas committas, sed quoquo modo sive pecunia, sive promissis dissolve fœderis vincula, quæ obfatura viderentur. Nec domi præstoleris hostium furorē, verum præverte eorum impetum; observa subdole ipsorum consilia, non sequere; cum levi discrimine satius erit pacem quærere, quam cum dubio belli eventu prælium sectari. Præprimis autem vide, ne cuiquam diffidere videare; vult enim sibi quisque credi, & quandoque præstita infidatori fides, mutavit insidias in tutelam.

Quæ Principi regnanti præ aliis laudi vertuntur, & quæ adscribuntur vitio.

T H E O R E M A.

Imperantis munus est, regere, tum jus dicere, ac omnium prospicere salutem, qui secus agere videtur, dignum se præbet, cujus facta acriori perstringantur calamo.

Neminem fore arbitror, qui in meam sententiam concedere abnuat, ut fateatur, optimos decere eligi Regnantes, talesque haberi oportere, quamdiu provinciam cum imperio obtinent, quorum virtutes sine adulatione, vitia cum discretione proferenda esse dicebat Plutarchus. Non multum ab hujus opinione abluere videtur Tacitus, qui dum Othonis, Galbæ, & Vitellii reprehensione digna describere juberetur facta, reposuit: mihi Otho, Galba, Vitellius,

nec munificentia, nec vitio cogniti; multo igitur satius existimabat, nihil litteris posterorum memoriæ transmittere, quam ea, quæ exaraturus erat, ad veritatis non exigere leges. Quod si autem Platonem, & Hieroclem consulamus, actutum oculis subjicient nostris, Imperium, ac Imperatores haud secus, atque sub nomine justi, honestique tum intelligi, tum concipi posse. Illi enim quamdam Numinis induunt personam, vel certe ejusdem Ministri in terris habendi sunt; neque a vero aberravero, cum ipsa æterna Veritas Nabuchodonosorem Regem, vita, & moribus perditum, suum tamen appellet Ministrum.

Omnes quidem Principes contendunt singularem sui memoriam immortalitati transcribere, quorum nihilominus alii ab suis, alii temporum vicissitudine corrupti a virtutis deflectunt studio; nam non semper homines, qui imperio parent, a probis moribus sunt instructi, nec eadem sæculorum recurrit series; quamobrem nec

femper Cyri, Julii, aut Trajani tempora esse queunt. E quibus arguere licet Regnantes non privata vita, sed Principatu, cujus obeunt munus, probari oportere; multum enim privatum inter, ac publicum interest. Erravit Roma, quæ e domestica Galbæ vivendi methodo spem multo maximam administrandi Romani Imperii concepit; majorque privato visus est, dum privatum egit, & omnium consensu capax Imperii, nisi imperasset. Profecto consultius haud paucis fuisset Solio non admoveri, quam populo dominari cum dedecore. Falluntur namque per sæpe opinione cives, qui occidentem Regni fortunam ab novo Principe revocandam sperant, quam tantum abest, ut prudenti regnandi arte reduxerit, ut præcipitem egerit potius. Non opus est hac super re testimoniam adferre, cum historias similium exemplorum plenas offendamus.

Magnum illud Imperantis elogium, de quo dici queat: nunquam eo fine quidpiam laude digni fecit, ut facere duntaxat videatur, & dum fecus etiam agere non potuit, atque egerit, semper tamen fortunam in potestate habuit. Tum qui novit eligere, quod melius in prosperis, & quod tutius in adversis fore judicavit. Et qui expendit magis merita proborum, quam preces amicorum, quique Regis personam pro dignitate sustinet, non privati, qui talem se omnibus præbet, qualem Regnantem optaret subditus. Verum proliquot in orbe terrarum reperire licet, qui se non tam aliis, quam sibi natos esse arbitrantur. Quamobrem Claudii temporibus quidam Mimicus dixisse fertur: in uno annulo bonos Principes posse describi, atque depingi: Imperantem enim oportet esse mitem in suos, æquum in ferendis sententiis, probum moribus, factis magnanimum, suumque munus una esse noverit, cum laude regere, ac omnium consulere salutem.

Habes itaque, mi Princeps! effigiem Regnantis, quam non modo præferre decet, ac expedit; sed animo quoque altius insculpere; est necesse, ut præsentem cuncti diligant, mortuum perinde amore prosequantur.

EX QUO CONSEQUITUR.

COROLLARIUM I.

Princeps summa cum laude Regnum moderabitur, si noverit seipsum regere.

Quamvis non paucos natura finxit ad regnum, fortuna evexit ad folium; nihilominus raros admodum virtus ad comparandam nominis immortalitatem erudit, quos populus vellet æternum vivere, aut iis duntaxat pares venerari. Quamobrem, mi Princeps! si laudis nunquam intermorituræ desiderio teneris, fac muneri respondeas tuo, haud dubie autem respondebis,

debis, si te una subjeceris rationi; multos enim reges cum singulari tui commendatione, si ratio Te rexerit, ab illa discēs, qua arte Regno præesse oporteat. Si cunctis dominaris, Tibi dominetur ratio; & ne fecus, atque dignitas poscit, regas, regnum abs Te incipe; utque confulas aliis, consule Tibi, ac ut dici queas Princeps, monstra Te esse Principem. Regnum Philosophum exigit, sed non Dialecticum; exigit tamen Ethicum in sua persona, Oeconomum in sua familia, Politicum in suo munere; nam omnes artes conveniunt Regnanti, sed illæ præ aliis, quæ ipsam, familiam, suumque Regnum regere docent. Quem ut consequaris finem, vacuum Te affectibus esse volo, ne vel odium impellat adversus æquitatis leges, neve amor corrumpat iudicium, ne ad illicita, probisque moribus contraria trahat libido, ne ad vindictam stimulet furor, ne ad aliena sollicitet habendi cupiditas, ne demum in bella rapiat invidia, & æmulatio.

Nam simulatque a præclaro, quem orsurus es, regendi modo remiseris, aut tuam intenderis potestatem, ætutum aut contemptum Tui, aut odium Tibi conciliabis. Vide quoque, ut imperandi methodo, qua felicitati civium prospicere cupis, eorum Te accommodes gemio; secus tantum abest, quo optatus conatibus respondeat fructus, ut Regnum pluribus etiam involvas calamitatibus. Perinde in conferendis dignitatibus, expediendisque negotiis, non merita tantum, sed dotes ipsas naturæ, ac ingenii, quibus Viros illos pollere necesse est, velim expendas. Non minori attentione opus judico fore, ut iis, quos probi, ac ad Christianas leges exacti, commendant mores, Te moderatum, ac mitem; projectæ vitæ hominibus vehementem; audacibus acerbum; temerariis cautum; potentiõribus facilem præbeas, semperque ea prius maturo discutias judicio, quæ ad Regni salutem tum promovendam, tum conservandam fores æcturus. Præ aliis

autem cave, ne cum despectu aliorum, aut violentia imperes; hæc enim duo regiminis extrema; eam ob causam periculi plena esse scito. Non parum æque felici officeret regimini, si auctoritate, ac opibus potentes offenderes, aut armorum peritos, vel charos populo, arcanorumque conscios, Coriolanus ab Romanis, Alcibiades ab Atheniensibus offensi, multum negotii facessivere Patriæ.

Neque ullum eo dignitatis provehe, ut vereri ejus potentiam cogaris, nec ulli eam committe præfecturam, quam armis, & sanguine repetere oporteret. Exempla Te terreat aliorum, ne demum fero facti pœniteat. Majoris vero momenti negotia, quæ per Te potes, non tracta per alios; consilio tamen eorum utendum tibi esse reor. Minus difficile accidat, auditis aliorum judiciis, ab tuo recedere instituto; arrogantia enim Principum admodum periculosa est, dum suo duntaxat abundant sensu, ut ab discrimi-

mine Regni abesse non videantur. Interim nulla alia res ampliorem laudem, & gloriam Imperanti parit, atque si Ministri humilitate in Regem, observantia in leges, inferioribus quibusvis palmam præripiant. Quibus allatis, nullus dubito, quin intellexeris, quanti referat, Provincias curæ tuæ concreditas pro eo, ac debes, administrare, quibus tamen regendis Te parem haud exhibebis, nisi una noveris Tibi ipsi dominari, qui aliis imperia daturus es.

COROLLARIUM II.

Oportet Principem ea integritate jus dicere suis, ut non modo non arguatur sceleris; sed ne ullius quidem suspectus videatur delicti.

Non decet tantum, sed expedit etiam, Imperantes justitiæ administrationem præ aliis sibi ut cordi sumant; haud enim scio, an ulla res imperium magis afferat, ostendatque, atque potestas in fortunam, ac vitam subditorum; quin repetamus, si lubet, omnium gentium, omniumque temporum memoriam, actutum edocebimur, Reges curæ suæ concreditæ jus dixisse; legimus Philippum Macedonem, ut alios taceam, præsedisse tribunali, & cum festinantem mulier sua de re appellasset, negaretque is sibi tempus suppetere, mox illa audacter: noli igitur regnare, quibus verbis innuit, id munus admodum Regi proprium esse, ut sine eo Regnantis nomen in-

ane videtur. Verum, mi Princeps! si parem æquitatem dignitati tuæ adjungere velis, cave, ne, qui in alios animadvertis, ipse reprehensione dignus inveniri. Oportet itaque Imperantem non solum nullam alteri inferre injuriam, sed nec inferre velle quidem videri; nam privatis sufficet fortasse, nihil delinquere; Principem vero decet, nec suspectum quidem esse delicti; quamobrem prius se emendet, quam alios; nulla enim est sententia damnantis, si ipse damnandus sit.

Profecto æquus rerum arbiter, nunquam prudentiam casui, nunquam judicium temeritati committit; nihil enim proprius Deo accedit, quam regnare cum justitia, hic finis, mi Princeps! tuæ dignitatis, hæc meta Regii muneris. Semperque malueris, si abs Te steterit, æquitate, quam sanguine; causa, quam armis retinere, quæ tui juris videntur. Tum leges ipsas usu temporum mitiga, & quas necessitas publica, aut

belli

belli incommoda jufferant, firmata pace, abroga; veteres tamen consuetudines abolere noli, quamvis barbariem quamdam sapiant, dummodo in aperta vitia non declinent. In rebus, quæ publicæ Regni salutis periculum non creant, esto semper tardus ad puniendum. Neque e numero eorum sis Imperantium, qui, dum in quempiam vindictæ studio acti capitis sententiam ferunt, honestiorem aliquam suæ indomitæ indoli prætexunt causam, eamque obtentui in ejus perniciem, quem oderunt, assument, sicque iis, quæ cum scelere faciunt, speciem quamdam inducant justitiæ.

Neque illorum catalogo Te infertum velim, qui prava dissimulatione remedia potius malorum, quam mala, differunt, horum semina, ne incremento serpant, sub ortum opprimenda existimo; quemadmodum enim suo tempore ad maturitatem pervenire videmus omnia; non fecus protracta consuetudine amplius ingravescent crimina.

mina. Cavendum Tibi una esse scito; ne major sit poena, quam culpa, neve ex iis causis plestantur alii, alii immunes ab omni dimittantur poena; nihil enim magis ægre tulit populus Romanus, quam ab Imperatore Domitiano in eodem crimine deprehensos, pauperes mortis supplicio; divites autem pecunia, vel patrimoniis exutos absolvi. E quibus concludes, nec amicorum, nec nobilitatis personam aspici debere, ubi aequitatis ratio habenda est; quemadmodum enim sol non alius pauperi, alius diviti, sed omnibus communis; non secus abs Te non genus, sed causam considerari oportere. Nonne eadem bilance ponderatur aurum perinde, atque plumbum; sic eadem legum observantia parvis, & magnis est administranda justitia.

Vide igitur, quid Te agere par sit, ut neque a recto tramite deflectere, neque à probis moribus aberrare videare; multum enim ad Regni salutem interest, ita jus dicere singulis, ne

injustitiæ arguaris, & cum varia, quæ per sæpe intercedunt, negotia a dirimendis litibus Te advocent, fac, eorum concredas fidei, quos ab omni dolo alienos esse arbitraris, & si munere suo cum laude eos defungi observaveris, iis non facile alios suffeceris, incertus, utrum illis tum legum peritia, tum longo rerum usu pares sis reperturus. Quid enim exitio fuit non raro Reipublicæ Romanæ? quam quod ii præficerentur tribunalibus, ablegatis aliis tum ætate, tum consilio gravibus, quos nec jurisprudentia, nec virtutis studium commendavit, quo factum est, ut justitia vœnum exponeretur. Quamobrem, mi Princeps! eo, quo oportet, modo contende, ut omni tempore sententiam, quam laturus es, ad æquitatis exigas leges, nevé Te ullius insimulent criminis, quod Regno salutem, felicitatem civibus, Tibi vero longe maximam pariet gloriam, quam posteritas quoque cum gaudio alet.

COROLLARIUM III.

*Salutem omnium suorum non secus curet Princeps,
atque filiorum Pater.*

Quisquis parem dignitati Regiæ laudem adferre cupit, necesse est, ut populorum, quibus præest, lucretur amorem, quem maximo præsidio fore Veteres juxta, atque nostri ævi confitentur; eam ob causam Octavianus Imperator nihil timebat magis, quam ne ab suis timeatur; oderunt enim illum, quem metuunt, & certiora ab amore, quam a terrore nascuntur obsequia; nam sicut hostes armis, ita subditi beneficio vincuntur, & vinciuntur. Profecto tunc stabilis, ac diuturna potestas Principis, dum mutuo amore prosequitur populos, non secus, atque Pater filios, dum communi consulit commodo, dum sermone affabilem, accessu facilem, vultu amabilem se reddit, quem omnes ad suo-

rum promovendam felicitatem natum prædicant, quem excubare pro salute singulorum experiuntur. Quamobrem vide mi Princeps! ne muneri tuo deesse videare; quodsi tamen nonnulli tuorum filios se esse non ostenderent, nullam Tibi asperges labem, si una in eos Patris exueris naturam; manebunt illi servi, tu Dominus; nihilominus minis subditorum audaciam nunquam lacescas, sed paratis viribus; cave autem, ne admodum rigidus sis, ut cum talis amari nequeas, omnes metuere oporteat. Expedit quidem metum iis incutere, ne in vitia præcipites agantur; metus tamen Majestatis, non crudelitatis sit tuæ dignitatis fulcrum; nam ille reverentiam, hic odium parere consuevit; illam conciliabunt egregia facinora, hoc incutient tua scelera.

Turpe quoque foret, si alicui tuorum apertum Te præberes hostem, qui rara comitate, singulari munificentia Pater omnium esse meruisti; princeps itaque Tibi gloria sit, tuorum de-

vincere animos, ab iisque amplius amari, quam timeri; amore enim populorum septum esse decet Imperantem, non opibus, aut armis. De Massinissa refert Valerius; is cum sui odium apud cunctos sibi conciliaverit, salutem suam non hominum, sed canum custodiae concredidit; haud fecus de Alexandro Phereo tradunt Scriptores, qui Uxoris quoque cubile ingredi metuebat, quin lateri suo satellites adjungeret, quibus eam sibi crearunt ignominiam, ut posteritas ipsa eorum detestetur memoriam. Non igitur prius Te celeberrimorum Imperantium numero inserendum puta, quam dum Te magis prodesse, quam praesse audivero: bonus enim Rex, publicus servus; quæ cum ita sint, nolim e tua effluat memoria, Te a subditis potestate duntaxat differre, cætera Tibi graviora esse, atque illis, quo pacto regnare, servire est.

Nec abs re; nam si tuorum expectationi pro eo, ac debes, respondere velis, oportet, tua vigilantia omnium quietem tueri, omnium otium tua cura supplere, omnium felicitatem tua industria mercari, omnium egestati tua munificentia subvenire, omnium laborem tuis donis amplius acutere ad perfectionem. Ad tuum munus æque, mi Princeps! pertinet, providere, ne familiæ de Regno optime meritæ vicissitudine temporum intereant. Nobilitas cor Regni est, populus, ac cives membra magis servilia. Tuum est etiam, nosse subditorum indolem, eorumque rem familiarem, ac modum, quo vitæ suæ consulunt. Tuum est, de cunctis disponere, non vulgari quavis, sed exacta rerum notitia. Tuum est, omnium populorum, quibus aliquid cum tuis commercii intercedit, originem, rationem vivendi, belli, pacisque instituta penetrare. Tuum est, expendere omnia temporis momenta, ne occasione Reipublicæ prospiciendi desis; cum ab

unico momento negotiorum fama, vis, & successus plerumque pendeat. Tuum denique, ut juventuti civium, quæ re agraria non distinetur, imperentur variae artes, illæ præfertim, quibus elaborantur materiæ crudæ, in ipsa Patria inventæ, quo facto duplex in Rempublicam fructus redundat; materiæ, & artis pretium. Nemini itaque liceat esse otioso, ne militi quidem in pace, ut nostri fere consueverunt; sed ad publica opera, muniendas arces, vias, ripas fluminum, exsiccandas paludes, colendos agros adhibeantur, aucto stipendio, quod militando merentur. Merces vero luxui magis, quam necessitati servituræ, non admittantur, earum usus interdicator civibus, Nobilibusque ipsis ponatur modus. Itinera ipsa tuta, & integra servantur, purgantur fluviorum alvei, ac una cum aliis jungantur, ut ferendis majoribus navibus pares evadant; nullum enim est potens Regnum sine commerciis. Quamobrem eum non modo Regem;

sed

sed & Patrem Patriæ dixero, qui his suorum sibi devinxerit animos, memoriamque sui curâ laude alendam transcripserit posteritati.

COROLLARIUM IV.

Princeps etsi multa possit; non tamen, nisi laude digna, velit; nam quidquid nimium sapit, periculum multo maximum creat.

Si fides Platoni, & Aristoteli inter Philosophos; Salustio, & Tacito inter Historicos, habenda est, haud dubie asseremus, præcipuum fontem, ex quo Imperantium promanant vitia, esse nimiam agendi licentiam; qui enim hac suam metitur majestatem, non se Regem noverit, sed Tyrannum. Quis, amabo te, eam pro libidine imperandi facultatem impertiit? Non lex naturæ; quia ignotum illo tempore nomen Regis. Non lex Divinæ, cui illa profus adversatur. Non lex humana, cum homines, quamvis in obsequi-

um nati, iusto tamen duriozem non ferunt, non patiuntur ſervitutem. Profecto minor licentia competit Principi, atque privato homini; nec mihi Rex eſt, qui non melior, & juſtior cæteris probatur: Neque Regio Scito ea videtur ineſſe vis, & auctoritas, ut quidpiam contra juſ Naturæ, aut Divinum jubere, & ſancire poſſit. Quin non multum etiam mihi aridet nomen abſoluti Imperii, quod, illo quoque dominante, qui mitiorem indeptus eſt indolem, metuendum venit. Conſulamus, ſi lubet, tantisper hiſtorias, actutum videbimus, Neronis initia fuiſſe optima; verum poſteaquam regnandi licentiæ aſuevit, finem peſſimum deprehendemus.

Qui itaque Sceptro admotus eſt, illud vivendi inſtitutum ſibi præſcribat oportet, ut faciat, non quod ſibi libeat, ſed quod ipſum deceat; non enim, quod quiſque poteſt, id ei licet; nec propterea ei permittitur, quia non obſtatur; nam id duntaxat licere dicimus, quod
legi-

legibus, Majorumque institutis conceditur; nec quidquam majori infelicitati Principibus fore existimo, quam velle agere, quæcunque possunt, & cumprimis, dum omnia sibi licere existimant; tunc ad occasum non tam vergit, quam præcepta agitur fortuna Regni, ubi turpia non solum delectant, sed placent etiam, & desinit esse remedio locus, & quæ fuerant vitia, mores fiunt. Haud dubie tunc Athenienses in summo versabantur discrimine, quando publica vox erat: Athenis omnia esse honesta. Difficile quoque est subditis, eum habere Principem, sub quo nihil ulli liceat; pejus vero, sub quo omnia omnibus; quamobrem cave, mi Princeps! ne, dum malis ignoscis, perdas bonos; sed non minus caveto, ne, adultis vitiis, impar iisdem evellendis, ac extirpandis videare. Potestas Regia inter ipsa extrema ignaviæ, & crudelitatis mediâ persæpe confidet, utprimum autem sive excesseris, sive declinaveris, mox vel tuorum

evades fabula, vel hostis; nam si antiquis fidem non abnuimus; summum jus, & Imperium, summa est injuria, summaque crux. Quis enim illum Regio honore dignum arbitrabitur? qui aut nunquam parcit, aut semper; qui totam subditis adimit libertatem, aut omnem indulget licentiam.

Nulla profecto dici possunt justa, quæ nimia sunt; nulla utilia, quæ legibus non consentanea; nulla honesta, quæ virtuti perinde, atque rationi repugnant. Virtus medium tantum complectitur, & in medio vis omnis, vigorque rerum omnium est; extrema in deterius inclinant. Porro Regis non tantum est, illa agere, quæ ex Regio munere oportet; sed illa quoque vitare, quæ ipsius etiam personam, ac potestatem dedecent; omne itaque nimium non levem Principi aspergit maculam, sive is totum se vitiis addicat, sive omne tempus pietati duntaxat impendat; optime enim orat, qui pro Republica

laborat; five demum se in solitudinem abdat cum Tiberio, five cum Domitiano nimia severitate singulorum in se provocet odium. Multum æque officiet Imperanti, si omnibus omnia credat, aut diffidat prorsus omnibus; vel si nemini quidquam committat, aut uni omnia; vel denique si contra, atque prudentia exigit, se ad omnes demittat, aut cunctos refugiat, ac aversetur. Quare justo timore ii percellantur Principes, quorum præsidium adversus subditos est solus ensis; nam suæ etiam populo manus sunt, quibus injuriam abs se propulsare conantur; non pauca Regna similibus meminere tragædiarum. Vide itaque, cujus salutem cum primis studeo, ne, etsi omnia possis, non tamen, nisi laude digna velis; nam, ut paucis complexus sum, quidquid nimium sapit, periculum multo maximum creat, cui sopiendo, vereor, ut par futurus sis. Nolim tamen quibusdam offendaris verbis, quæ fortasse duriora, atque velim, Tibi videntur;

nihilominus longe fatius est veritatem pro eo, ac decet, depromere, tuæque inferere menti, quam ut Regno admotus sero demum pœnitenda experiaris.

COROLLARIUM V.

Caveat Princeps, ne Ministros perversos, aut adulatōres in consilium suarum cogitationum advocet, nisi odium suorum incurrere velit.

Nunquam Regni felicitatem amplius in occasum vergere posse judico, atque dum Imperans a perversorum Ministrorum, vel adulatorum voluntate omnibus in rebus pendet. An non enim hostes eos dixeris, qui non hominem, sed fortunam ejus, ac opes colunt? Qui non Patriæ saluti consulunt; verum propriæ duntaxat rei familiari augendæ student? Et ut sublestum suum agendi modum celent studiosius, singula consilia, quibus Imperanti imponunt, tanquam ad æquitas

tis leges exacta perquam meditate simulant, Pro-
 teique personam tam perite induunt, ut nulla in
 iis fraus, nullusque dolus latere videatur. Si
 una Principem ad vitia prouum obseruent, tan-
 tum abest, ut eum arceant a scelere, deterreant
 a periculo, ut se ipsius mox accommodent genio,
 probent acta, ac omnia ei licere contendant. Ex
 Persarum Ministris dum sciscitaretur Cambyses:
 an lex aliqua prohibeat matrimonium cum Soro-
 re? Reponunt ii: nullam quidem se reperire,
 quæ permittat fratrem cum sorore matrimonio
 jungi; reperisse tamen aliam, quæ sinat, Regi
 Persarum facere, quæ velit. Proh quanto leges,
 corruptis moribus, ludibrio esse consueverunt!
 Et ne a proposito longius aberrare videar, Mi-
 nistrorum perinde callida arte in Galbam fed-
 tiones fuere excitatæ, avulsæ Provinciæ, ac tri-
 stis demum creatus vitæ exitus. Tales accipi-
 mus, olim fuisse exitio: Chryfogonum Sullæ,
 Amphionem Catullo, Heronem Lucullo, Deme-

trium Pompejo, Hipparchum Antonio, qui eorum interitu multo amplissimas indepti sunt divitias.

Neque his duntaxat adulatorum definitur natura; nam Aulici cum primis fidem non raro rejurando etiam obstringunt suam, qua testantur, justa esse omnia, quæ ab Rege subditis præscribuntur, quamvis naturæ jus, & pudor condemnet; quibusdam quævis Principum facta honesta juxta, atque inhonesta, laudare mos est, dicebat Tacitus. Quid Domitianum Imperatorem ad tantam insaniam perduxit, ut fastu plenus, divinum honorem sibi præstari imperaret? Quid Maximinum impulit, ut Romanis Senatoribus pedes suos præberet osculandos? Quid Regem Chaldæorum ad tantam arrogantiam accendit, ut in aurea statua effigiem suam populo exponeret adorandam? Nisi adulatorum verba, quibus fascinati præter cæteros sibi honorem deberi existimarunt. Isocrates Vir sapientia, eloquentia-
que

que insignis nullam pestem dicebat Principibus. admodum perniciosam, atque adultores; corrumpunt enim ingenios mores, cum nunquam veritati eorum consonent verba, & vitia præ virtutibus extollant.

Antigonus sacrificia immolabat, ut assentatorum effugeret laqueos, inquiens: hostes dum cognosco, mediocri diligentia cavèo; verum ab amicis testis, & perfidis nequeo mihi cavere; quamobrem Deo protectore opus est. Ita est, mi Princeps! nec secus, nisi divino scuto a perverforum Ministrorum insidiis, & adulatorum lenociniis obteges animum. Sed tua culpa, si jucundis mox capiaris; gloria vero evanescas. Vis non falli? Conscientiam tuam expende amplius, quam adulatorum encomia. Solius intimi sensus testimonium nulla fraude circumscribitur. Væ autem vobis, teste Isaia, qui dicitis, malum bonum, & bonum malum; ii enim, ut quidam Gallus Scriptor asserit, amici sunt in obsequio,

sed hostes in animo; compti verbis, ast factis turpes; læti ad prospera; verum fragiles in ad-versa; denique faciles ad humana, difficiles au-tem ad honesta. Multo igitur fatius fore judi-co, illos exemplo Pascenii non ab Aula tan-tum, sed ab ipso Regno extorres reddere, ne felicitati, vitæque tuæ insidientur.

COROLLARIUM VI.

Princeps enitatur conatu quam potest maximo, ut se idoneum regendo Regno præstet; ignorantia enim rerum publice gerendarum contemptum parit.

Quemadmodum summa rerum publicarum fe-licitas est, dum sapientum Virorum re-guntur consilio, haud secus extrema ipfas manet pernicies, cum imperiti ad earum sedent guber-nacula; Regnantum enim ignorantia universi Re-gni salutem in præsens adducit discrimen; eam

ob causam dicebat Plato: beatum illud fore Regnum; in quo sapientes regnant, vel Reges sapiunt. Quid enim est ipsorum scientia, quam Reipublicæ sanitas, consilii lumen, justitiæ robur, & universi ordinis firmissimum quoddam præsidium. Philippus, edito in lucem filio Alexandro, non mediocri perfundebatur lætitia, non tantum, quia orbi datus erat Regni hæres; sed quod iis temporibus esset natus, quibus vivebat Aristoteles, a quo instruendus fuerat; nam qui administrandæ Provinciæ expertus est, quasi lumine captus pari vitio laborantes ducit, inde plurima emergunt incommoda in populis, & in Rege auctoritas non parum negligitur. Principem ignorantem, ajebat quispiam Imperatorum, cujus nomen sub ticeo, simium esse coronatum; perditur Respublica non minus isto, atque Troja quondam equo. Qua de causa Plato optavit magis Tyrannum sapientem, quam Principem optimum, sed rerum gerendarum ignarum; nec

abs re; teste enim ipso Aristotele, sub indocto Regnante plurimi nocent Reipublicæ, sub Tyranno autem unus duntaxat. Tanti ergo refert, Sapientem præesse subditis, ne salute sua periclitentur.

Indignantibus olim amicis, quod Alexander Corinthi Diogenem adiiisset, illud memoratu dignum protulisse fertur: nili Alexander essem, Diogenes esse vellem. Unicum namque malum incitiam, unicum bonum scientiam. Nullum profecto existimo, quem oporteat vel plura, vel meliora scire, quam Principem, cujus doctrina, necesse est, omnibus ut profit incolis, inquit Vegetius. Male agitur cum domino, quem villicus docet, pejus cum Principe, quem subditi regunt, pessime cum Regno, ubi ejus gubernandi modus a multorum pendet arbitrio. Quem enim latet, omnia licere Magnis, Principe ignaro. Non recte medetur affecto corpori Medicus, si morbi naturam, ejusque originem non perspiciat;

perinde Imperans nunquam prodesse valebit Regno, curæ suæ concredite, cujus potentiam, vires, opes, legesque ipsas non cognoscit. Ignorantia in Regnante est pestis illa, qua seipsum inficit, multos interimit, corrumpit omnes, tum odio sui complet amicos, terrore subditos, Regnum extrema calamitate. Ignorantia respuit consilia, temere bella suscipit, opes maximo cum damno dispergit, quin si accedat vitæ licentia, dolori est familiari necessitudine junctis, ludibrio æmulis, fabula subditis, & chaos omnium vitiorum. Idem sane est, imprudentem, ac ignorantem esse; uterque semper de rebus male judicat, & pejus deliberat, dumque justitiam administrare gestit, prolabitur in crudelitatem, ex majestate in profusionem.

Ignorantia juncta potentia, præter temeritatem, inconstantiam, injustitiam, arrogantiam, nunquam boni quoque consilii est capax; quia vel nimium credit, vel prorsus diffidit. Neque

ulla re facilius perdit Imperans auctoritatem, ac
 Reipublicæ felicitatem agit præcipitem, quam in-
 scitia regendi; cum enim multos ad exequendum
 suum munus adsciscit, dissolvit Regnum, quod
 unitate regiminis continetur. Tum ignorantes
 Principes plus nimio suspicioni quoque sunt ob-
 noxii; quia singulis contemptui sunt, semper-
 que se contemni putant. Neque fallor, si dix-
 ero: scientiam in Regnante magis timeri posse,
 quam potentiam. Inter majores pœnas, quas
 Deus inflixit mundo, est ignorantia Imperanti-
 um, ita vaticinante Ezechiele: dabo te in ma-
 nus insipientium. Quamobrem, mi Princeps! fac
 parem dignitati regendi scientiam adjungas: æquum
 enim fore existimo, ut, qui cæteris majestate
 præstas, ingenii æque viribus alios anteeas, ne
 in prosperis juxta, atque adversis tuorum dunta-
 xat consiliis Reipublicæ saluti consulere cogaris,
 quæ res ingentem nomini tuo inureret labem, non
 minorem Regno adferret calamitatem.

COROLLARIUM VII.

Divitiæ plurimæ non parum Principis gloriam imminuunt, si iis utatur non in salutem publicam, sed in usus proprios, ac fines pessimos.

Nemini major, frequentiorque inter homines consciscendæ laudis adest occasio, atque Principi, si muneri suo pro eo, ac debet, satisfacere contendat. Adrianus Imperator sæpe in Senatu dicere solitus est: se ita moderaturam Imperium, ut nunquam ex animo ejus rei effluat memoria; rem curæ suæ concreditam populi esse, non suam privatam; illi enim duntaxat dignitas gloriam parit immortalem, qui singulorum saluti propriis etiam sumptibus consulit; eam ob causam Aristoteles scite admodum, ut solet, ærarium Principis stomacho comparabat; nam quemadmodum cibi recepti in omnia membra vigorem, roburque diffundunt; haud se-

cus e Regno thesauro pecunias, cum suppetit
 opportunitas sublevandi populi, in eum erogan-
 das judico, ne caritate amonæ affecti, ac justo
 majoribus pressi oneribus, provocentur ad sedi-
 tiones. Quid enim tam ægre fert populus, atque
 si tributa in usus Regno nihil profuturos expen-
 di intelligat, & quæ suasit necessitas, eadem ces-
 sante, paria tamen evadant. Qua super re, mi
 Princeps! magnum quemdam Politicum audi,
 ait is: neminem esse, qui jus habeat vel terun-
 tium exigendi ab suis præter constitutum annu-
 um censum, nisi cum Clero, & Nobilitate po-
 pulus assentiatur. Aurumque adulterinum existi-
 ma, si cum subditorum lachrimis collectum est.

Non igitur Tibi liceat in privatos usus con-
 ferre, quod in publicos fuerat destinatum, ex
 quo haud dubie sequeretur Imperii, aut Regni
 dissolutio, si id, quod a plebe in Reipublicæ fe-
 licitatem penditur, in vanitates profundatur.
 Sequerentur fastus, æmulationes, injusta bella,

avaritia, aut prodigalitas, libido, multaue alia, quæ prostituunt Principem, & communem egestatem inducunt in Patriam. Divitias quidem imperant Principes; sed multo sudore, & labore eas comparant subditi: illæ nervi sunt Reipublicæ, non tuarum voluptatum fomes, aut morionum, & adulatorum merces. Ipsi non raro solennes Aularum apparatus in humeros populû recidunt, & quæque ab illis in luxum profunduntur, damna, & calamitates sunt pauperum civium. Non secus divitiarum; & publicæ pecuniæ fructum, cave, profusionem arbitreris, sed dispensationem in communem subditorum utilitatem. Ditare enim magis Regum est, quam ditescere. Xenophon ea de causa inquit: non aureum Sceptrum est, quod Regnum custodit, sed amicorum copia, quæ Principis paratur munificentia. Perinde Alcamenes Teletri filius cuidam percontanti, quo pacto Imperans Regnum diu conservare posset? Reposuit: si lucrum non ma-

gnificerit, & subditorum commodis enixe stude-
 ruerit; nam quemadmodum pisces hamo, non
 secus homines favore capiuntur, ac vinciuntur.

Ad hanc rem alludere videtur illud, quod
 olim Romæ accidisse fertur; cum sepulchrum
 quoddam apperiretur, inventus est in eo lapis,
 in quo verba hæc fuere inscripta: *Expendi, do-*
navi, servavi, habui, habeo, perdidit, quibus le-
 ctis convenerunt Viri eruditione clarî, qui ea
 hoc modo interpretati sunt: quod expendi, ha-
 bui; quod donavi, habeo; quod servavi, per-
 didi. Dic jam, amabo te, quid magis Principi
 odium, ac contemptum parit, quam si opes suo-
 rum labore obtentas ad explendam duntaxat pro-
 priam cupiditatem impendat? Quidve ampliori
 cedit honori, atque si populi afflictæ forti sub-
 veniat, imminentemque periculi procellam de-
 pellat, ut non tam sibi, quam aliis natus esse
 videatur. Eam ob causam improbi Regnantes
 censendi sunt, qui in Regio Solio, non nisi po-
 ten-

tentiam meditantur, & qui se non civibus datos arbitrantur, sed sibi cives. Vide itaque, mi Princeps! ne pecunia, quam e Provinciis Tibi concreditis legis, jacturam nominis creet; creabit autem haud dubie, si eam non ad communem tuorum salutem, sed usus, finesque ab honestate alienos profuderis.

COROLLARIUM VII.

Princeps nimie moderetur iræ; nam non raro tristes eam sequuntur effectus.

Inter cæteras animi ægritudines, quibus homo impetitur, principem fere locum obtinere videtur iracundia, quæ a virtute etiam probe instructum nonnunquam in vitia præcipitem agit. Quid enim is ad æquitatis leges exactum præstabit, cujus ratio vehementioris iræ stimulis abripitur? Quid is sibi ad laudem, aliis ad utilitatem molietur, qui furore excæcatus vitæ discrimina

mina non videt, laudem non æstimat, virtutem non cognoscit, honestum non discernit, ipsamque nominis famam respuit, ac contemnit. Profecto non eum dignitatis splendor, non amicorum necessitudo, non proprii periculi metus ab impetu retrahet, ac retardabit; nihilominus haud scio, an in ullo gravior, funestiorque esse possit, atque in Principe; in privatis enim jaculum, in Regnante fulmen est, quo genere ipso conspicui, meritisque graves victimæ furoris cadunt; nam Magni Viri non raro admodum ira æstuant, ut omnes justo percellant timore, quæ res tanto tristiore creat perniciem, quanto minus eidem mederi queunt subditi; cum primis autem constans felicitas iracundiam nutrit, ac fovet, si superbas Imperantis aures assentatorum turba circumsepit. Neque vitium hoc unquam operabitur justitiam, sed corrumpet. Eam ob causam cave mi Princeps! antequam ardor resideat animi, sententiam in vitam, aut fortunam

tuorum tuleris; non enim foret ea æquitas, sed homicidium, gravisque injuria, neque hoc pacto quempiam corriges; verum opprimes potius; quin commotus Regnantis animus, si non pro eo, ac mansuetudo exigit, tractet suos, quamvis paululum deferveat, suisque se actutum blandum reddat; vereor tamen, ne odium sui, ac contemptum apud omnes pariat.

Si justam irascendi causam habeat Princeps, author, suaforque ei sum, ut hanc animi ægri- tudinem omni contentione tegere, ac justitiam obtendere satagat, ne sævire, verum punire ab omnibus judicetur. Certum namque est, in Pro- vinciarum Moderatore multo magis notari ira- cundiam, quam in privatis furorem; & hunc amplius in illo, atque in his extremam etiam rabiem. Quem animi morbum manifesto produunt; verba aspera, jussa permolesta, consilia crude- lia, præmatura supplicia, veterum consuetudi- num abolitiones, ac resolutiones ad æquitatis le-

ges minus exactæ, tum permulta alia, quæ, fedata ira, averfatur animus, deteftatur ratio, & erubefcit Regia dignitas: non fecus indicio funt exafperatæ mentis: filentium obftinatum, fixi in terram oculi, furdæ ad omnia folatia aures, & tædium capiendæ lucis. Saulem tantisper, fi lubet, intuere Davidi infenfum, furentem magis, quam iratum, collidentem dentes, mordentem labia, exafperatum fronte, ore fpumantem, fica proptum in cujusvis cædem. Proh quam fæda hæc Imperantis figura! Infpice una ejusdem facta, ut amplius vitii hujus turpitudinem deteftaris; is Abimelechum Regiæ iræ ignarum, qui fugientem Davidem hospitio exceperat, crudeli addixit neci, Urbem ipfam Nobeam incendiõ delevit, & ut fuum demens expleat furorem, civium quoque fanguine eidem litandum erat, quo tempore 85 fapientia, & divinatione illoftres Viri, Abimelechis innocentis caufa, extremo fuere affecti fupplicio.

Redivivus utinam suis e cineribus coram
 adesset Alexander Magnus, maximus ille mundi
 domitor, qui absente ira faventem sibi indeptus
 est fortunam; iracundia vero dominante, multo
 infelicissimus exstitit. Ingemisceret profecto, ex-
 clamaretque: ego, cujus præclara in bellis consi-
 lia timuit Africa, exhorruit Asia, adoravit Ma-
 cedonia, suspexit Thracia, formidavit orbis pe-
 ne universus. Ego; qui consiliis arma summa
 cum felicitate circumtulit, instruxi acies, confeci
 bella, lætas de hoste retuli victorias; ego in-
 quam cæco abreptus furore eo perveni demen-
 tiæ, ut Ducem mihi familiari consuetudine jus-
 tum, Clytum, animæ meæ dimidium, delictum
 cordis, decus militiæ, Regni gloriam impio en-
 se confoderim, Clytum, quem pro defendenda
 sæpius salute mea invicto pectoris robore eun-
 tem in pericula, quem in medios hostes ruentem,
 quem nec sanguini, nec vitæ parcentem non ra-
 ro vidi. O iram execrandam! quæ mentem us-

que commovit meam, ut nec inviolata fidelissimi Ducis religio, nec veneranda oris gratia, nec ipsa heroicæ virtutis magnitudo, a tam nefanda sceleris fœditate me potuerit revocare. Quamobrem, mi Princeps! moderare naturæ tuæ; an enim dignum arbitraris, si conspicias leonem lepori insidiantem, tum potentem, armisque instructum inermi? Profecto ira Regnantem, cui fopienda nulla remedia paria fore videntur, in desperationem agit subditos, dum jam nec gratiæ, nec veniæ relictus ullus est locus; demum, abjecta omni salutis spe, quid aliud superest, quam ut extremam Patriæ ruinam mutuas inter tuorum cædes experiaris.

COROLLARIUM IX.

Puritati vitæ cumprimis studeat Princeps; Imperantis enim libidine prolapsæ sunt Monarchiæ, aut mutatiæ; eversa Regna, & Imperia, quæ olim floruerunt.

Qui summa cum laude, parique felicitate cæteris præesse cupit, necesse est, ut Ulyssis instar omnes Sirenum illecebras generoso pectore, invictaque constantia spernat, ac fugiat. Nunquid enim Princeps is dicendus est, cui jura imponit cupiditas? Nunquid ille Dominus, qui lascivienti naturæ mox paret, & ad ejus se fingit genium? Nunquid ille liber, cui indomitæ animi affectiones imperant, ac dominantur? Profecto servum eum appellandum judico, licet Regio sanguini suam debeat originem; probus enim, si serviat, liber est; malus etiam si regnet, servus est, cui vitia ingenti cum dedecore leges

scribunt; imperare itaque sibi, maximum Imperium est. Voluptates, teste Aristotele, considerandæ sunt, non advenientes, sed abeuntes; nam si cum labore quidpiam honesti egeris, abit labor, honestum manet; si vero cum voluptate turpe aliquid feceris, quod suave est, abit, quod turpe est, manet. Alexander Magnus singulari celebratur encomio, tum ob res præclare gestas, tum vel maxime propter continentię studium, cujus potestatem, victo Dario, Persisque prælio fractis, Uxor, & Mater Persarum Regis subiit, quarum altera admodum venustæ formæ scribitur, ut cum ea nemo in tota Asia in comparationem venire potuerit. In primo ætatis flore fuisse Alexandrum, non ignoramus, militum robore metuendum, nulliusque juri obnoxium; adeo tamen continentię studiosum se exhibuit, ut ne rogatus quidem in eam intenderit oculos; turpe enim judicabat fore, ut, qui viros vicisset, a mulieribus vinceretur, magisque metuit mol-

lem aspectum, quam probe instructas, & armatas acies.

Nec abs re; plures namque perdidit libido Principes, quam crudelitas; quia hæc actutum terrore percellit subditos; at illâ non modo odium, verum etiam contemptum creat longe maximum, cum intelligant, Regnantem voluptatibus deditum impotentis esse animi, nec Sceptro dignum videri, qui suæ naturæ moderandæ impar ab omnibus existimatur. Quis profecto ejus Imperantis capitur amore, cui pudor, & innocentia tædio est? Aut quis mulierum amoribus perditæ illigatum verebitur? Quisve desidi, libidinisque mancipio serviet? Quis denique sparebit sui impotenti? Mærent ibi Reipublicæ curæ, jacent negotia Regni, languent heroicæ virtutes, ubi Regnantis mentem Venus occupat; fractus enim cupiditatibus animus odit seria, & difficultium rerum cogitationes mollis voluptas non admittit; quin Princeps vitiis carnis innatritus vi-

vens non vivit; quia lethargo Venereo fopitus nihil agit Regium, delitescit inter gynæcea, ac ex unico voluptatis fortuito successu novas semper meditatur libidines, quibus prolabi Monarchias, aut mutari, everti Regna, & Imperia multorum didicimus exemplis.

Sardanapalus, omnis Asiæ Dominus, quemadmodum turpi suo vivendi modo totam pene Monarchiam ad scelera non tam permoverat, quam accenderat; haud secus ille primus omnium cum pellicibus Vulcani victima cecidit, ne amplius alios suis succenderet moribus. Invictum armis Hannibalem luxuria Campaniæ illecebris complexa vincendum Romano militi dedit. Antonius Orientis olim terror succubuit Cleopatraz amoribus, amissa tertia Imperii parte, atque ad extremum, vi sibi illata, conscius insanæ suæ turpitudinis periit. Urbs Troja solo æquata est, Principes occisi, abductæ Virgines, idque ob Helenam Menelao a Paride raptam. Perinde vio-

latæ Lucretiæ causa, mutatus est status Reipublicæ Romanæ, extincta Regum omni memoria. Taceo Ninum, Antiochum potentia celeberrimos. Non commemoro Neronem, Vitellium Majestatis exempla, quorum fœda memoria nunquam e posterorum animo effluet. Cogita una, mi Princeps! innumerabilium pene casus miserabiles, non modo singularium Virorum, sed Urbium quoque, & Regnorum cruenta excidia, quæ libido peperit.

Eam ob causam pictores Cupidinem effinxerunt cœcum; quia hominem rationis lumine privat, quin ex amante reddit amentem. Neque alio jure vitium carnis Veteres compararunt igni; nam prout is prolicet fumum adversum oculos, æque ex hoc vitio res fœdæ, rationem obscurantes, promanant, quo fit, ut perditæ amore irretitus periculum non videat. Quibus allatis, oportet, ut concludas, summo studio invigilandum esse, ne libidini subscribas, quæ rationem evertit, ex-

stinguit pudorem, viam ad funestam pandit perniciem. Cætera prætereo; tam enim arduum fore judico, præscribere Principi universa, quæ agere ipsum, aut fugere, necesse est, quam futura omnia prævidere. Ad extremum id Te monitum volo, ut, quæ alio Imperante Tibi fieri exoptas, ea ipse porro feceris, quo pacto talem Te præstabis Regnantem, qualem desiderares privatus. Pace itaque tua, finem sermoni imponam; nam plura pro ingenii tui subtilitate, naturæque indole afferre nolui, & pro rei veritate pauciora non debui; & eum Te esse una novi, cujus neque humanitas sermonis longitudinem fastidit, neque reprehendit prudentia brevitatem, in utro abs me peccatum sit, non est mihi magnopere laborandum, si brevior Tibi visus sum, placui; si longior, persuasi.

INDEX RERUM.

Quaedam generalia principia, quæ Regnantis æque, atque subditorum felicitati plurimum conducunt.

C A P U T I.

Pag.

Principem eo Politices studio imbutum esse oportet, quod Divinæ Legi sit conforme, secus sibi ingentem inferet labem, Regno multo maximam creabit perniciem. II

C A P U T II.

Principem ea agere oportet, quæ felicitatem Reipublicæ conservant; ea vero fugere, quæ labefactant. 19

C A P U T III.

Regendi methodum, qua Princeps utitur, ordo, & leges commendent. 27

C A P U T IV.

Imperantem multo felicissimum reddet, si cognoscat genium, & naturam subditorum. 34

INDEX RERUM.

CAPUT V.

Pag.

Plurimum Principis interest, ut in suorum
amorem se insinuet, neve eorum odi-
um incurrat. 43

CAPUT VI.

Præcipua Regnantis cura sit, ut iis utatur
consiliis, quibus nec sibi, nec Regno,
nec subditis officiat. 51

CAPUT VII.

Principi quibus opus est Viris, ut a consi-
liis sint, & quid in iis requirendum. 56

CAPUT VIII.

Quis hominum delectus Principi faciendus
est, ut dignis præcipuæ in Regno di-
gnitates conferantur. 65

CAPUT IX.

Violentus imperandi, & obsequendi modus
ruinam Reipublicæ parit. 71

*Quaedam particularia principia, quibus omnis
Regni felicitas non comparatur duntaxat,
sed conservatur etiam; ut sunt:*

RELIGIO, JUSTITIA, ARMA, PAX, OPES.

T H E O R E M A.

Nihil perinde ad felicitatem Regni tum pro-
curandam, tum conservandam conducit,
atque Religio; nam qui Deo fidelem se
non exhibet, necesse est, ut Principi
una infidelis existat.

77

E X Q U O D E D U C I T U R

C O R O L L A R I U M I.

Princeps omnibus viribus enitatur, ut ve-
ram Religionem in Regno conservet;
nullius vero fidei homines a munere
amoveat, ac e sua Provincia exesse
jubeat.

81

C O R O L L A R I U M II.

Major in Deum injuria concipi vix potest,
quam concedere facultatem de Religio-
ne quidvis sentiendi.

86

C O R O L L A R I U M . III.

Potestas summi Pontificis Christi in terris
Vicarii in honore Principi habenda est.

90

INDEX RERUM.

Pag.

COROLLARIUM IV.

Caveat Princeps, nisi iram Dei in se inducere velit, ne in res Sacras se immisceat. 97

JUSTITIA, ET JUDICIUM,

Duo cardines sunt, in quibus Regni felicitas consistit.

THEOREMA.

Præ aliis nomen Principis immortalitati transferibit justitia, si perinde, atque ejus natura exigit, exerceatur. 102

EX QUO SEQUENS FLUIT

COROLLARIUM I.

Ubi ratio subjicitur potentiaë, justitia convertitur in injuriam. 107

COROLLARIUM II.

Princeps observator sit legum, ut exemplo sit subditis. 112

COROLLARIUM III.

Tribunalibus eos Princeps præficiat Judices, qui scientia juxta, atque æquitate sunt conspicui. 117

C O R O L L A R I U M I V.

Princeps in distribuendis præmiis, ac irrogandis pœnis, perquam cautus fit, ne justitiæ limites excedere videatur. 123

*Principi continuo adsit frequens armata manus ;
secus Regnum felicitate periclitabitur.*

T H E O R E M A.

Raro admodum ad arma deveniendum est, & si necessitas exigat etiam, caveat, quisquis suprema potestate cæteris præest, ne temeritatis, aut injustitiæ arguatur. 132

E X Q U O E R U E R E L I C E B I T

C O R O L L A R I U M I.

Bella non magis corporis robore, quam consilio, & prudentia geruntur. 136

C O R O L L A R I U M I I.

Princeps exteras Potentias ad bellum non provocet, quamdiu pacem cum iis colere potest, cum pugnae exitus incertus sit. 141

INDEX RERUM.

Pag.

COROLLARIUM III.

Princeps si iustis de causis pacem bello mutet, admodum instructus sit ad prælium, ut adversariis non modo resistendo sed frangendis etiam eorum viribus parem se præbeat. 146

COROLLARIUM IV.

Belliduces ii militiæ præficiendi sunt, qui quemadmodum suis spem, & robur animi inspirant, ita hosti terrorem incutiant. 151

COROLLARIUM V.

Quæ præcipuæ Imperatoris exercitus belli tempore curæ? 157

COROLLARIUM VI.

Qua cautione Principem finito bello uti oportet? 365

Principi pax præ bello optanda est.

THEOREMA.

Principes, qui pacem negligunt, summam in natura humana felicitatem non agnoscunt. 171

INDEX RERUM.

Pag.

EX QUO HAUD DUBIE ENASCITUR:

COROLLARIUM I.

Princeps in facienda pace, induciisque concedendis perquam providus sit. 175

COROLLARIUM II.

Caveat, Princeps, ne scædus cum quavis Potentia temere ineat, nisi maximo discrimini Regni felicitatem objicere velit. 179

COROLLARIUM III.

Sapientis Principis est, ea uti moderatione, ne seditiones in Regno enascantur, ac enatæ mox sopiantur. 185

COROLLARIUM IV.

Eos duntaxat ad exteras Aulas mittendos judico, qui muneris sui partes cum laude expleant. 193

Oper publicæ plurimum conferunt ad felicitatem Regni.

THEOREMA.

Si Regnum opibus laboret, tantum abest, ut felicitati suæ consulat, ut in perniciem præceps ruat necesse est. 199

INDEX RERUM.

Pag.

EX QUO ORITUR.

COROLLARIUM I.

Opes cumprimis Regni conservandi causa expectantur; quia in his majorem felicitatis partem sitam esse novimus. 203

COROLLARIUM II.

Multo satius est pecunia, quam armis bellare. 207

COROLLARIUM III.

Odit communis salus eos Pastores, qui nesciunt oves tondere, sed deglubere. 211

COROLLARIUM IV.

Enitatur Princeps conatu, quam potest, maximo, ut puros ab omni fraude Viros ærariis præficiat. 217

Perquam necessarium est, ut non Princeps a Regia dignitate, sed Regia dignitas a Principe suum mutuetur splendorem.

THEOREMA.

Cum Regnans non secus subjecto sibi populo, atque Sol orbi universo lucere debeat, opus est, ut iis instructus sit virtutibus, quibus omnium amorem in se rapiat. 221

INDEX RERUM.

Pag.

EX QUO SEQUITUR.

COROLLARIUM I.

Princeps in omnes sit affabilis; hac enim animi dote non modo cuncta abs suis impetrabit, sed plurima quoque avertet mala. 225

COROLLARIUM II.

Princeps comitati munificentiam adjungat; nam multo magis beneficiis, quam armis salus Regni custoditur. 229

COROLLARIUM III.

Ad lucrandum populi animum multum conducet clementia, quæ suorum non sitit sanguinem, & si quandoque tonet etiam, non tamen semper fulminat. 234

COROLLARIUM IV.

Nihil æque Principem commendat, atque fides in promissis servata; sine hac enim omnes ceteræ Regum, ac Principum virtutes obscuræ redduntur. 238

COROLLARIUM V.

Nulla in Principem redundabit ignominia, si fraudem fraude refellat, aut iis promissis non stet, quæ demum injusta fore observaverit. 242

INDEX RERUM.

Pag.

COROLLARIUM VI.

Benevolentiam populi, ac promissorum fidem consequitur authoritas Imperantis; exigui enim roboris est potentia Principum, nisi una polleant authoritate. 248

COROLLARIUM VII.

Providentia in agendo non leve momentum est ad authoritatem conciliandam. 255

COROLLARIUM VIII.

Scito, singularem gloriam, ac Principum authoritatem, non minus fortunæ, quam virtutis esse donum; nam virtus dum sola est, persæpe non agnoscitur, comitem si habeat fortunam, ab omnibus suspicitur. 260

Princeps de iis, quæ executioni dare satagit, plus meditetur, quam loquatur, ne, si aperto pectore fuerit, ejus consilia adversarii prævertant.

THEOREMA.

Quæ mente concludit Princeps, silentio premat potius, quam divulget, secus ægre admodum cogitationes optatum fortientur effectum. 265

INDEX RÉRUM.

Pag.

EX QUO EMANAT.

COROLLARIUM I.

Multum juvat, Principem tecto esse animo; facilius enim prudenti hac arte assequetur fines sibi præstitutos, quam armorum fragore, & dubio belli eventu. 269

COROLLARIUM II.

Sapientis Principis est, tempori se accomodare, ut noverit, dissimulatione plurimis mederi malis, apertoque pectore paria incommoda ab Regni incolis propulsare. 274

COROLLARIUM III.

Caveat Princeps, quamvis secretorum tenax sit, ne viribus suis plus nimio fidat; secus non levem sibi creabit perniciem. 279

COROLLARIUM IV.

Principis cum primis interest, ut nec cito credat, nec fidem omnibus abnuat. 283

INDEX RERUM.

Pag.

Quae Principi regnanti prae aliis laudi vertuntur, & quae adscribuntur vitio.

THEOREMA.

Imperantis munus est, regere, tum jus dicere, ac omnium pro picere salutem, qui secus agere videtur, dignum se praebet, cujus facta acriori perstringantur calamo. 288

EX QUO CONSEQUITUR.

COROLLARIUM I.

Princeps summa cum laude Regnum moderabitur, si noverit seipsum regere. 292

COROLLARIUM II.

Oportet Principem ea integritate jus dicere suis, ut non modo non arguatur sceleris; sed ne ullius quidem suspectus videatur delicti. 297

COROLLARIUM III.

Salutem omnium suorum non secus curet Princeps, atque filiorum Pater. 302

COROLLARIUM IV.

Princeps etsi multa possit; non tamen, nisi laude digna, velit; nam quidquid nimium sapit, periculum multo maximum creat. 307

INDEX RERUM.

Pag.

COROLLARIUM V.

Caveat Princeps, ne Ministros perversos, aut adulatorem in consilium suarum cogitationum advoceet, nisi odium suorum incurrere velit. 312

COROLLARIUM VI.

Princeps enitatur conatu quam potest maximo, ut se idoneum regendo Regno præfiet; ignorantia enim rerum publice gerendarum contemptum parit. 316

COROLLARIUM VII.

Divitiæ plurimæ non parum Principis gloriam imminuunt, si iis utatur non in salutem publicam, sed in usus proprios, ac fines pessimos. 321

COROLLARIUM VIII.

Princeps nimis moderetur iræ; nam non raro tristes eam sequuntur effectus. 325

COROLLARIUM IX.

Puritati vitæ cumprimis studeat Princeps; Imperantis enim libidine prolapsæ sunt Monarchiæ, aut mutatæ; eversa Regna, & Imperia, quæ olim floruerunt. 331

